



DE TETRALOGIIS
ANTIPHONTI RHAMNUSIO
ADSCRIPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FRIDERICUS IOANNES BRUECKNER

FRIBERGENSIS.

BUDISSAE.

TYPIS E. M. MONSII.

1887.

In orationibus sub Antiphontis Rhamnusii nomine memoriae proditis singulare genus reperitur et compositionis forma et causa originis prorsus discrepans ab iis, quas ceteri novem oratores Attici, ut Pergamenorum indicem sequar, nobis tradiderunt, tetralogias dico ita comparatas, ut binis accusationibus binisque defensionibus argumenta ficta tractentur. Non igitur causis re vera apud iudices actis eas debemus, sed ut vel ipse vires ingenii in genere oratorio exerceret vel viam ostenderet dicendi imperitis, qua accusator crimen probaret, reus purgaret, auctor eas conscripsit; quaternarum autem orationum corpora nobis offeruntur, cum in litibus quibusdam moris fuerit Athenis, ut utraque pars bis verba faceret. Quale genus per se ipsum non est cur abiudicemus ab Antiphonte considerantes quibus in studiis versatus sit, quippe qui non satis habuerit orationes in iudiciorum usum componere, sed etiam rhetor non contemnendus exstiterit, id quod uberius iam alii [1]) demonstraverunt nec refellisse mihi videtur Buresch [2]), cuius argumenta nondum satis gravia existimo. Contra num Antiphontis essent tetralogiae, non iniuria dubitatum est elocutione earum comparata cum orationum quintae et sextae. Nam de primae scriptore non minus in lubrico versamur, cum quinta omni suspicione careat neque sextae Antiphontea origo adhuc gravius offenderit. Non autem semel nostra aetate illae declamationes, quod subditae essent, impugnatae sunt.

Ac primus Schoemann [3]), cum iudicaret editionem Maetznerianam, seiunxit orationes quintam et sextam certe Antiphonti adscribendas a tetralogiis ab eius genere dicendi abhorrentibus. Verum non certis causis fulcire aggreditur hanc sententiam, sed satishabet diluere, quae Maetzner affert omnes orationes defendens nisi quod de prima dubius est; cui Schoemanni argumentationi facere non possum quin plane assentiar. Neque enim ex eo, quod veteres grammatici de tetralogiarum scriptore, cum vocabula quae in iis reperiuntur laudant, nullam interponunt dubitationem, certi quicquam colligi potest, quia nihil impedit quominus aut huius rei ignaros fuisse eos aut non necessarium putasse mentionem facere aut omnino ex aliis orationibus illa vocabula sumpsisse existimemus; neque in iudiciis veterum de Antiphontis elocutione factis, ut hic mittamus ipsam auctoritatem talium testimoniorum, tam accurate unaquaeque res eius propria enumeratur, ut inde illam quaestionem diiudicare liceat; neque vero tam paucis verbis contenti quam Maetzner fecit de similitudine Thucydidis generis dicendi et Rhamnusii protinus adducemur, ut cum eo faciamus.

---

[1]) Blass, att. Beredsamkeit 1, 103. Both, de Antiphontis Rhamnusii tetralogiis, Progr. Oldenburg 1876, pag. 2. — [2]) Leipziger Studien 9, 1, 85. — [3]) Jahrbücher für wissenschaftl. Kritik 1839, 2, 482. Berlin.

Quas primas dubitationes Schoemanni viginti annis post Pahle[4]) redintegravit, qui ut orationum quintae et sextae fidenter patrocinium suscipit nixus et scriptoris scientia rerum illa aetate gestarum et Plutarchi de quinta testimonio et prisco incomptoque genere dicendi, quod ipsum veteres Antiphontis esse censuerint, ita tetralogias hoc oratore prorsus indignas iudicat. Etenim valde dubium esse, num qui enixe in re publica gerenda versatus sit, talibus studiis operam dederit; sententias saepe nihil conferre ad causam adiuvandam, immo argutas et contortas esse et redolere sophistarum artem potius quam cum gravitate oratoris Attici congruere; exilium adumbrationum speciem prae se ferre singulas orationes, quae amplitudine cum quinta aut sexta comparari nequeant; scriptorem non sibi constare, cum quae ad veras orationes spectent, his tetralogiis immisceat. Quae argumenta partim nulla partim satis infirma ac dubia mihi videntur; errat autem Pahle in hac potissimum re, quod de tetralogiis ád normam orationum quae vere sunt iudicium dirigit, cum sine dubio illae, quibus fictae causae subsint quaeque aliis normas tantum praebeant sive accusationis sive defensionis, aliter iudicandae sint atque orationes in iudicio habitae. Quae porro de elocutione ab Antiphontea diversa affert, ex iis nonnulla sane pondus habent, sed minorem diligentiam ponit hac in parte, quam ut omnis dubitatio fugetur.

Contra Gruenwaldt[5]) recte intellexit in hac quaestione praecipue genus dicendi spectandum, quamobrem ex hoc ipso subditivas esse tetralogias ostendere studet, sed multo plura elocutionis discrimina proferre potuit atque alia commemorat quae parum idonea existimo. Praeterea non recte ineunte disputatione contendit veterum de antiquitate et asperitate verborum iudicia defendere videri scriptorem nobis traditum, cum saepius prisca et inusitatiora verba in tetralogiis deprehendantur. Quis enim praestat rhetores primi a. Chr. n. saeculi, quibus illa iudicia debemus, tetralogias non Antiphonteas iudicasse propatereaque pariter ac reliquas orationes in genere dicendi explorando spectavisse? Itaque non iudiciorum et tetralogiarum consensus ratio habenda est, sed eius quem omnes orationes inter se comparatae ostendunt, et huius, non illius causam a studio Antiphontis imitandi repetere Gruenwaldto licebat.

Deinde Herwerden, postquam Cobet in Mnemosyne[6]) tetralogias plenas pravi et vitiosi acuminis appellavit, ibidem[7]) non modo ab Antiphonte, verum etiam ab homine Attico quinti saeculi eas negavit conscriptas esse. Cuius opinionis argumenta enumerat non levia illa quidem, sed strictim tantum totam hanc rem tractat, cum diligenti explicatione non supersedere mihi videatur, qui talem controversiam diiudicaturus est.

Restat, ut Dittenbergeri mentionem faciam cum Herwerdeno plane consentientis. In Herme enim (16, 321) de Platonis dialogis verba faciens obiter profert,

[4]) Die Reden des Antiphon, eine kritische Untersuchung, Progr. Jever 1860. — [5]) De Antiphontis quae feruntur tetralogiis disputatio, Progr. Dorpat 1873. — [6]) 8, 278 nov. ser. — [7]) 9, 203.

quid de Antiphontis tetralogiis sentiat; ex elocutione autem diversa, quae sit his et reliquis orationibus, illas adulterinas esse iudicat simul ad Herwerdenum provocans, qui insignia discrimina congesserit, sed addens plura afferri posse.

Sed nec defensores defuerunt tetralogiis, quorum gravissimus Both[8]) laudandus esse mihi videtur. Is in programmate Oldenburgensi postquam neque genus neque argumenta tetralogiarum impedimento esse docuit, quominus Antiphontem putemus eas scripsisse, ne dicendi quidem ratione nos cogi contendit ab eo illas abiudicare; discrimen enim, quod inter has et orationes quintam et sextam intercedat, effici et diverso consilio in iis inito et temporis spatio, quo alterae ab alteris disiungantur. Verum etiam missis his omnibus neque e duabus orationibus de reliquarum origine iudicari posse et res forenses in tetralogiis tractatas prorsus ad Antiphontis aetatem pertinere. Transit denique ad genus loquendi exemplis illustrandum, quibus non minus quam illis causis tetralogiae Antiphontis esse demonstrentur. Sed haec exempla multum abest, ut ad Bothii partes me traducant; non enim arbitrium huius quaestionis pendet de verbis priscis et poeticis, quorum potissimum ille rationem habet, sed etiam aliis rebus tetralogiarum elocutio recedit a consuetudine quintae et sextae orationum, cuius differentiae iam Gruenwaldt non pauca atque insignia exempla composuit.

Denique non desunt, in his Spengel[9]), qui quamquam has diversitates sane scrupulum inicere concedunt, tamen ipsi non audeant alii scriptori tetralogias assignare illam non satis gravem causam talis coniecturae putantes. Videmus igitur de hac quaestione inter viros doctos adhuc omnino non convenisse, immo eorum sententias in contrarias partes discedere. Quae cum ita sint, non me acta agere opinor denuo in hanc rem inquirentem, num forte mihi contingat ad eam accuratius cognoscendam aliquid conferre.

Ac primum quaerendum esse mihi videtur, quatenus elocutio quam in tetralogiis reperimus ad sermonem Atticum aetatis Antiphonteae quadret. Atqui quae de Rhamnusii orationibus non dubiis supersunt etiam prima adnumerata, quippe cuius origo Attica non aeque atque scriptor dubitationem excitet, vix satis adiumenti, ut recte Both intellexit, ad hanc quaestionem afferant; externa igitur auxilia nobis circumspicienda sunt, quamquam ne his quidem abundamus, sed unus tantum scriptor praesto nobis est, Thucydides. Itaque quid ex huius sermone collato efficiatur, videamus, et si inde tetralogias scriptoris Attici esse intellexerimus, tum demum ad alteram quaestionem aggredi tempus erit, num Antiphontem illas composuisse verisimile sit.

Iam ad priorem partem huius disputationis me convertens vocabula poetica in tetralogiis reperio non pauca, sicut et in Antiphontis orationibus, quo nomine primam quoque, quamdiu in hac parte versabimur, ob causam quam supra breviter

---

[8]) De Antiph. et Thucyd. genere dicendi, dissert. Marburg 1875, pag. 11 (adnotatio). De Ant. Rhamn. tetr., Progr. Oldenb. 1876. — [9]) Rhein. Mus. 17, 167.

attigi amplectar, et apud Thucydidem tales voces nobis obviae sunt. Quod non mirum, cum illo tempore solutae orationi modo via patefacta ac munita esset. Plurimum igitur tum lingua poetarum valuit et quaecunque conscripta sunt suo colore tinxit. Itaque si nulla huius generis exempla in tetralogiis nobis occurrerent, inde has non esse Antiphonteas colligere ita liceret, ut in posteriorem aetatem reiiciendae essent. Nunc autem hac re plane consentiunt cum Antiphonte et Thucydide iuxta atque cum Herodoto, cuius historiae non minus linguae poeticae vestigia impressa sint. Iam videamus, quae exempla declamationes contineant quaeque paria aut similia apud illos scriptores reperiantur.

Numero autem conspicuae sunt voces ad religionem pertinentes, quae frequentia ex eo fluxit, quod de necatis hominibus in causis tetralogiarum agitur, quippe quorum nece divina non minus quam humana iura putentur violari. Atque vocabula huc referenda haec laudo, ut ubique secutus alteram Blassii editionem et Ignatii[10]) indice usus:

δαίμων 3γ4 *τῇ σκληρότητι τοῦ δαίμονος ἀπιστῶν* et 3δ10 *μὴ ἐναντία τοῦ δαίμονος γνῶτε,* ab aliis quoque oratoribus Atticis adhibitum, nonnunquam una cum *τύχη,* quam ex daemone pendere existimant, nec multum differens ab *ἀνάγκη,* ut docent verba 3β2 *ὑπὸ σκληρᾶς ἀνάγκης βιαζόμενος,* ad quae 3γ4 respondetur; qua eadem significatione utitur Herodotus 1, 111, 5 (erkl. v. Stein) *κατὰ δαίμονα τίκτει,* cum Thucydides 4, 97, 4 (ed. Stahl) *δαίμονας* adhibeat pro *θεούς.* Cui *δαίμων* apte adiungatur compositum *βαρυδαιμονία* 2β2, quod apud poetas deest, sed in eorum sermonem prorsus convenire mihi videtur cuique Antiphontis *κακοδαιμονία* 5, 79 voci *εὐδαιμονία* oppositum compares velim; contra apud Lysiam 4, 9 *βαρυδαιμονία* non est universe fortuna afflicta, sed proprie mentis caecitas, sicut Antiphon 5, 43 *κακοδαίμονα* caecum hominem appellat.

ποινή de caelestium poena 2α3 *τῆς ὑμετέρας ἁμαρτίας ἡ ποινὴ εἰς ἡμᾶς .... ἀναχωρεῖ* et 2δ11 *ὑπὲρ τοῦ ἀποθανόντος ἀναμιμνήσκων τὴν ποινήν* eademque vis inest in *δίκη* 4β8: *τούτοις μὲν οὖν ὁ θεὸς ἐπιθείη τὴν δίκην*, cum ceteris locis: 2δ7. 3β8. δ9. 4α5 de poena ab hominibus irrogata usurpetur.

θεία κηλίς dicitur *ἡ ἀτυχία τῷ δράσαντι προσπίπτειν* 3γ8, pro quo mox *θείας προσβολάς* substituitur non minus poeticum colorem prae se ferens; *κηλίς* autem iterum reperimus 3γ11 *πάσης ὑπὲρ πάντων τῆς κηλῖδος εἰς ὑμᾶς ἀναφερομένης* similiter usurpatum atque *μίασμα* 2α3: *ἅπαντος τοῦ μιάσματος ἀναχωροῦντος εἰς ἡμᾶς.*

μήνιμα pro simpliciore *μῆνις* de manium ira 4β8 *οὐ τούτῳ τὸ μήνιμα τῶν ἀλιτηρίων προστρίψομαι* — 4γ7 *τὸ μήνιμα τῶν ἀλιτηρίων ἀκεσαμένους* — 4δ10 *διπλάσιον καθίστησι τὸ μήνιμα,* quod recte restituit Briegleb pro *μίασμα, τῶν ἀλιτηρίων τοῖς ἀποκτείνασιν αὐτόν,* item Euripides in Phoenissis 934 (rec. Nauck) *παλαιῶν Ἄρεος ἐκ μηνιμάτων,* cum in Iliade 22, 358 *μή τοί τι θεῶν μήνιμα γένωμαι* non odium intellegatur, sed odii causa.

[10]) De Antiphontis Rhamn. elocutione, Berlin 1882.

ἐνθύμιος apud Thucydidem 7, 50, 4 *οἱ Ἀθηναῖοι .... ἐπισχεῖν ἐκέλευον τοὺς στρατηγοὺς ἐνθύμιον ποιούμενοι* scil. lunae defectum, pro quo circuitu 7, 18, 2 simplici *ἐνθυμεῖσθαι* utitur, apud Herodotum 8, 54, 8 *ἐνθύμιόν οἱ ἐγένετο ἐμπρήσαντι τὸ ἱρόν* similiterque *ἐνθυμιστὸν ποιεῖσθαι* 2, 175, 23, in tetralogiis item de rebus 3α2 *τῷ ἀποθανόντι .... οὐδὲν ἐνθύμιον .... προσέθηκεν,* 3δ9 *ἐὰν καταλάβητε (ἡμᾶς), ἐνθύμιον ὑπολείψεσθε* ibidemque *τοῖς καταλαμβάνουσι μεῖζον τὸ ἐνθύμιον γενήσεται,* cum *ἀείζων* Blass proposuerit, cui speciosae sane coniecturae assentiri prohibeor consimili loco 4δ10 *διαφθαρεὶς διπλάσιον καθίστησι τὸ μήνιμα τῶν ἀλιτηρίων.* De homine *ἐνθύμιος* usurpatur 2γ10 *ἡμῖν μὲν προστρόπαιος ὁ ἀποθανὼν οὐκ ἔσται, ὑμῖν δὲ ἐνθύμιος γενήσεται.* Quo ex loco *προστρόπαιος* vocis usum simillimum esse apparet nec minus ex 3δ9 *οὐδενὶ οὐδὲν προστρόπαιον καταλείψει* modo his dictis: *ἐνθύμιον ὑπολείψεσθε*; propter quem consensum non fecerim cum Ignatio (pag. 42) *οὐδένα προστρόπαιον* coniciente. Ut autem supra, ita occurrit etiam 4δ10 *ὁ γὰρ ἀποκτείνας τοῦ ἀποθανόντος οὐδὲν ἧσσον τοῖς αἰτίοις προστρόπαιος ἔσται,* ut codicum verba ab Ignatio (pag. 42) defensa sequar. Quo ab usu differt alter, quem non reperimus apud poetas, sed hic statim apte interponemus. Intuentes enim hos duos locos: 4α4 *δεινοὺς ἀλιτηρίους ἕξομεν τοὺς τῶν ἀποθανόντων προστροπαίους* et 4β8 *τοῦ μὴ διδάξαντος καὶ οὐχ ὑμέτερον τὸν προστρόπαιον τοῦ ἀποθανόντος καταστήσω* adiectivam vim hic non sufficere videmus, sed animam intellegi, quae ultionem postulans alicui instet, accedere igitur *προστρόπαιος* ad vim dei vindicis, *ἀλάστορος,* ut apud Polybium 24, 8 (rec. Bekker): *παρέστησεν αὐτῷ ἡ τύχη τινὰς ἐρινῦς καὶ ποινὰς καὶ προστροπαίους τῶν δι' ἐκεῖνον ἠτυχηκότων.* Pro *ἀλάστωρ* autem tetralogiarum *ἀλιτήριος* proprium est: praeter locum 4α4 modo laudatum 4α3 *εἰκότως θεοῦ τιμωρίαν ὑπολείπει τὴν τῶν ἀλιτηρίων δυσμένειαν,* 4β8, 4γ7, 4δ10, quos locos s. v. *μήνιμα* iam attuli (pag. 4), atque ipsius *ἀλάστωρ* usitatioris duabus notionibus diversis scriptor tetralogiarum adductus esse mihi videtur, ut *ἀλιτήριος* voci altera notione consentienti cum *ἀλάστωρ* ex eadem stirpe nato tribueret ambas, e quibus alterius adhibendae occasio ei data est.

δύσμορος 3β11 *μὴ καταψηφισάμενοι δυσμόρους ἡμᾶς καταστήσητε,* postquam modo *ἄθλιον* pater rei se appellavit. Distinguit igitur scriptor tetralogiarum *δύσμορος* ab *ἄθλιος* ita, ut illo vocabulo hominem graviore calamitate oppressum significet, similisque ratio intercedit inter *συμφορά* et *ἄθλιος* 3β12 *μὴ ἀθλιωτάτω δύο πατέρα καὶ παῖδα ἀώροις συμφοραῖς περιβάλητε.*

ἄναγνος 2α10 loco usitatioris *ἀνόσιος,* quod ut illud de hominibus adhibetur 3γ11 *οὐκ εὐσεβοῖντ' ἂν ὑπὸ τῶν ἀπολυσάντων τοὺς ἀνοσίους,* quae verba simul ad *εὐσεβεῖν* nos convertunt cum accusativo personae coniunctum; talem enim usum apud nullum scriptorem Atticum nisi apud tragicos reperimus. Ille autem locus cum spectet ad 3β11 *μὴ καταψηφισάμενοι δυσμόρους ἡμᾶς καταστήσητε, ἀλλ' ἀπολύοντες εὐσεβεῖτε,* hic eundem usum exstare et *ἡμᾶς* cogitatione repetendum esse sequitur.

Iam hoc genere vocum poeticarum misso reliquas declamationum scriptori cum poetis communes perlustremus: *ἀσπαίρω* 2δ5 *νεκροῖς ἀσπαίρουσι συντυχόντα,* quo vocabulo praeter poetas utitur Herodotus proprie ut illo loco 1, 111, 16. 9, 120, 4, translate 8, 5, 5 de homine sententiae alicui repugnante.

θερμός quoque de homine acri vehementique usurpatum nescio an linguae poeticae assignemus; neque enim hanc vim translatam repperi nisi apud poetas et recentiores; exstat autem 2α7 *θερμότερον ἐπιχειρεῖν* et 2δ5 *θερμὸν καὶ ἀνδρεῖον ἄνθρωπον.*

ἄωρος, cui apud Atticos *ἄκαιρος* respondet, 3α2 *οἰκτίροντας τὴν ἄωρον τοῦ ἀποθανόντος τελευτήν* et 3β12, quem locum supra (pag. 5) attuli; contra *ἀωρί* adverbium ter obvium: 2α4 *οὐ γὰρ ἀωρὶ τῶν νυκτῶν.... ἐλοιδοροῦντο,* 2β5 *ἀωρὶ τῶν νυκτῶν πλανώμενον,* 2δ5 *ἀωρὶ τῶν νυκτῶν νεκροῖς συντυχόντα* in vocabulis poeticis putare dubito.

αὐθέντης in tetralogiis non habet universam vim homicidae, ut apud Antiphontem 5, 11, Thucydidem 3, 58, 5, Herodotum 1, 117, 12, sed ubique valet: qui ipse mortem sibi conscivit (3γ4. 11. δ4. 9. 10); nam in verbis quoque 3γ11 *ἡμεῖς.... αὐθένται καταγνωσθέντες.... ἀνόσι' ἂν πάθοιμεν ὑφ' ὑμῶν* hanc vocem, quamvis absurdum videatur, sic usurpari ut ex 3γ4 *ὀρρωδῶ μή.... αὐθέντην προσκαταγνωσθέντα ὑφ' ὑμῶν ἐπίδω αὐτόν* intellegitur, ita non vetat rhetoris ratio res augendi atque in maius extollendi. Quam significationem substantivi *αὐθέντης* poetae non videntur adhibuisse, attamen sic quoque usurpatum propter sublimiorem sonum in poeticis vocabulis ducere licebit.

περιδύειν exuere 2β5 orationis variandae causa pro *ἐκδύειν* modo adhibito, apud Homerum in Iliade 11, 100 *καὶ τοὺς μὲν λίπεν αὖθι...., ἐπεὶ περίδυσε χιτῶνας,* ex Epicharmi fabulis affert Diogenes Laertius.

ἀνακλαίεσθαι quod legitur 2δ1 *τὰς παρούσας ἀτυχίας ἀνακλαύσασθαι* Sophocles adhibet in Philocteta (ed. Nauck) 939 *ὑμῖν τάδ'.... ἀνακλαίομαι,* praeterea apud recentiores exstat, cum antiquior oratio soluta verbo activo utatur.

πράκτωρ 3β6 *οὗτοι πράκτορες τῶν ἀκουσίων εἰσίν,* item usurpatum a Sophocle Trach. 251 *Ζεὺς ὅτου πράκτωρ φανῇ* et 861 *τῶνδ' ἐφάνη πράκτωρ (Κύπρις),* cum apud Aeschylum ultoris notio sola exstet ex ea verbi *πράσσειν* notione orta, cui *πράκτορες* vocabulum, quo magistratus ille Atheniensium significatur, originem debet. Illa autem propria vis inest in composito quoque *συμπράκτωρ*: qui una facit aliquid; itaque 3δ6 *πάντες ἂν οἱ συμμελετῶντες συμπράκτορες εἶεν τῆς αἰτίας* „participes culpae" vertere poterimus, apud Sophoclem Oed. R. 116 *οὐδ' ἄγγελός τις οὐδὲ συμπράκτωρ ὁδοῦ* „itineris socius", apud Herodotum 6, 125, 6 *τοῖσι Λυδοῖσι.... συμπρήκτωρ τε ἐγίνετο καὶ συνελάμβανε προθύμως* „adiutor exstitit", id quod insequenti verbo magis illustratur. Ex ipso autem *συλλαμβάνειν* ductum substantivum *συλλήπτωρ* reperimus 3γ10 *ὁ συλλήπτωρ καὶ κοινωνὸς.... τῆς ἁμαρτίας γενόμενος* „socius et particeps peccati", plane igitur idem significans atque *συμπράκτωρ,* apud Sophoclem

nusquam, semel apud Aeschylum Agam. 1469 (edid. Kirchhoff): *πατρόθεν δὲ συλλήπτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.* Quae tria vocabula *πράκτωρ, συμπράκτωρ, συλλήπτωρ* simul testantur declamationum auctorem abundantius eoque gravius loqui studuisse, quo de studio infra exponemus. Hoc autem ductus in copia vocum, quae ad manum erant, non acquiescebat, sed novas creabat ipse simili modo formatas, ut *ἀνατροπεύς* eversor exstat 2β2, *ἐλεγκτήρ* qui convincit 2δ3, *διαγνώμων* qui diiudicat 3γ3, *βουλευτής* machinator, non senator 4γ4 bis et 4δ5.

Verum etiam alias voces vel formas declamationes continent plane singulares aut rarissimas neque tamen propter illud studium ubertatis in dicendo natas. Quod non est cur suspicionem nostram moveat, dummodo consideremus primis prosae orationis scriptoribus non amplum praesto fuisse campum, in quo quamlibet vocem carpere liceret. Quo factum est, ut ipsi cum vocabulum quod notionem aliquam exprimeret vel omnino desiderabant vel quod exstaret parum sententiae respondere censebant, novum sibi fingerent vel usitato novam significationem tribuerent, quibus ex vocabulis uni alterique vel propter asperitatem formae rursus obscurato vel alia de causa civitas apud posteros non obtigit. Itaque nec apud Herodotum nec apud Thucydidem nec apud Antiphontem desunt tales voces, quae aut peculiares iis sunt aut apud scriptores satis recentis demum memoriae rursus emergentes horum studium priscae orationis imitandae testificantur. Atqui in tetralogiis non nulla vocabula occurrunt, quae plane eadem condicione utantur; num inde eorum auctorem non Atticum fuisse scriptorem colligemus? Ducant autem hunc gregem vocabula praefixis duabus praepositionibus composita:

συγκαταπιμπλάναι 2α10 *ἀσύμφορον ὑμῖν ἐστι τόνδε μιαρὸν .... ὄντα .... ἐπὶ τὰς αὐτὰς τραπέζας ἰόντα συγκαταπιμπλάναι τοὺς ἀναιτίους* culpa sua innocentes simul replere, coinquinare; quod vocabulum nusquam alibi inveni.

συνεπιβαίνειν 2β13 *δέομαι δ' ὑμῶν .... μὴ συνεπιβάντας τῇ τούτων ἐπιθέσει περιιδεῖν με ἀδίκως .... διαφθαρέντα.* Cuius verbi significatione simul conscendendi Aristoteles, Polybius, Plutarchus, alii recentiores utuntur, sed nullo loco nisi hic altera simul aggrediendi exstat, ad quam exprimendam Thucydides *ξυνεπιέναι* 3, 63, 2 adhibet socios per *μετά,* per dativum hostes addens.

προσκαταγιγνώσκειν 3γ4 *ὀρρωδῶ μὴ .... αὐθέντην προσκαταγνωσθέντα ὑφ' ὑμῶν ἐπίδω αὐτόν,* insuper condemnatum, cum Demosthenes qui fertur 55, 32 addicendi notionem in hoc vocabulo ponat: *ζητοῦσι διαιτητὴν ὅστις αὐτοῖς τὰ χωρία προσκαταγνώσεται.*

προσδιαβάλλειν 3δ2 *εἰ μέν τι ψεῦδος εἴρηκα, ὁμολογῶ καὶ τὰ ὀρθῶς εἰρημένα προσδιαβάλλειν ἄδικα εἶναι,* quod Plutarchus demum in usum reduxit, si quidem litterarum monumentis ad nos propagatis fidem habere licet.

ἀνταφαιρεῖσθαι 4α7 *ὑμᾶς χρὴ .... τὴν βουλεύσασαν ψυχὴν ἀνταφελέσθαι αὐτόν,* vicissim ei vitam eripere propter caedem perpetratam; occurrit autem etiam apud Aristidem et in scholiis Demosthenicis.

Quibus verbis dupliciter compositis duo apud Antiphontem solum obvia adicio: *ἀνταποθανεῖν* 5, 10 scil. *τοῦ νόμου κειμένου τὸν ἀποκτείναντα* et *συνανελεῖν* 5, 39. 42, ubi non usitata occidendi, sed singularis tollendi vis adhibetur; agitur enim de necato homine, qui humo sublatus et in navem impositus est.

Sed omnia haec verba propter vim per se inusitatiorem minus conspicua sunt nec magis mirabimur apud alios scriptores talia composita offendentes, quae suo quisque arbitrio, ut postulabat sententia, e vocabulis vulgaribus facile sibi fingebat. Quod idem cadit in *συμμελετᾶν* 3δ5. 6, *συνακοντίζειν* 3δ6, *συνασεβεῖν* 4α3, alia similia vocabula apud recentiores demum rursus obvia.

Aliter res se habet de vocibus vi inusitata non excusatis, quarum usum ad aetatem orationis solutae nondum firmatam apte revocabimus: *ἀναποκρίτως* non respondens, non se defendens 3γ2 Polybius et active et passive adhibuit, e scriptoribus Atticis nemo, sed alia adverbia ab his semel usurpata et saeculis compluribus interiectis rursus in lucem prolata exstant eiusdem formae et activae significationis, velut apud Thucydidem *ἀβασανίστως* 1, 20, 1, apud Antiphontem 1, 25 *ἀνελεημόνως* et *ἀνοικτίστως*; itaque ne *ἀναποκρίτως* quidem a sermone Attico alienum existimabimus.

ἀθεραπεία vocabulum, quod exstat 4γ5 pro usitato *ἀθεραπευσία* alibi non inveni; atque Reiske in illa formatione offendens *ἀθεραπευσία* coniecit, sed nonne facile fieri potuit, ut auctor tetralogiarum vocem idoneam desiderans illam ex ipso *θεραπεία* ei obversante praeposito *α* privativo formaret?

εἰκότερον 2β3. 8. γ5. δ4. 4γ2 pariter adhibetur ac *μᾶλλον εἰκός* 2α5. δ5, ut *ἀθεραπεία* apud alios non obvium, et inde natum fuerit quod huius comparativi forma amplior illo tempore nondum satis firmata erat, nondum arbitrium scriptori intercludebat.

ἀπολογηθῆναι ubique in tetralogiis medii *ἀπολογήσασθαι* vicem obtinet: 2γ1 *οὐκ ὀρθῶς ἀπελογήθη*, 2δ3 *ἐμὲ προσῆκε.... πρὸς τὴν μαρτυρίαν τοῦ ἀκολούθου ἀπολογηθῆναι*, 3γ2 *ἕνα πρὸς ἕνα λόγον ἀπολογηθείς*, 4γ1 *θέλω καὶ τὰ ἄλλα παραπλήσια ἀπολογηθέντα τούτοις ἐπιδεῖξαι αὐτόν*; neque apud recentiores demum rursus apparet, sed etiam ab Alexide comico adhibetur. Simillime, ut prosae orationis tantum scriptores afferam, apud Thucydidem pro usitato *μέμψασθαι* 4, 85, 2 legimus *μεμφθῆναι*, atque Isocrates *πραγματευθῆναι* 12, 249 adhibet pro usitato *πραγματεύσασθαι*. Vicissim *πειράσασθαι* apud Thucydidem non semel est pro *πειραθῆναι*: 2, 44, 2. 4, 114, 4. 4, 117, 1, apud Platonem in Gorgia 474 A; *ἀρνήσασθαι* pro *ἀρνηθῆναι* apud Aeschinem 2, 69. 3, 224. Sed quid ego longinqua commemoro? ipse Antiphon 5, 43 *προὐνοησάμην* scribit, cum passivi aoristum exspectemus.

Neque in *γηραιός* pro *γηραιά* 4α2 usurpato offendemus, cum saepius apud Atticos talia adiectiva simplicia masculinum et femininum genus uno exitu comprehendant, velut apud Thucydidem *ἀναγκαῖος τροφή* 1, 2, 2 — *χρόνιος μάχη* 5, 73, 4 — *φαῦλος στρατιά* 6, 21, 1 — *βέβαιος* et *βίαιος* non semel; quin etiam ad comparativum et superlativum idem scriptor hunc usum profert, legimus enim *ταύτῃ δυσεσβολώτατος ἡ Λοκρίς* 3, 101, 2 — *ἀπορώτερος ἡ λῆψις* 5, 110, 1.

ἀπολύσιμος et *καταλήψιμος* qui absolvi et qui condemnari potest 4δ9 *εἰ τις.... μηδὲν ἀπολύσιμον μᾶλλον ἢ καταλήψιμον ἐκ τῶν λεγομένων γιγνώσκει αὐτὸν ὄντα, καὶ οὕτως ἀπολύειν μᾶλλον ἢ καταλαμβάνειν δίκαιός ἐστι,* nusquam alibi, sequuntur formas *ἀμφισβητήσιμος, θανάσιμος, ἰάσιμος* in ipsis tetralogiis obvias (3α1. 4γ4. β4) partesque adiectivorum verbalium *ἀπολυτός* et *καταληπτός* agunt. Nam necessitatis vim, quam interpretationem sententia huius loci sane admitteret, iis tribui vetat exitus *σιμος,* qui nunquam quid debeat, plerumque quid possit fieri significat, plerumque inquam, nonnullis enim adiectivis huiusmodi vis est activa, non passiva, ut ipsum *θανάσιμος* modo allatum docet. Notio autem condemnandi in *καταλαμβάνειν* plane singularis est, eo firmata quod hoc verbum non modo hic bis deinceps, sed identidem verbo *ἀπολύειν* recta opponitur: 2δ4 *ἀξιῶ ὑμᾶς ἀπολύσαντάς με μακαρίσαι μᾶλλον ἢ καταλαβόντας ἐλεῆσαι* — 3γ11 *καταλαβόντες μὲν αὐτὸν.... καθαροὶ τῶν ἐγκλημάτων ἔσεσθε, ἀπολύσαντες δὲ ὑπαίτιοι καθίστασθε* — 3δ9 *οὐκ ἐὰν ἀπολύσητε ἡμᾶς, ἀλλ' ἐὰν καταλάβητε, ἐνθύμιον ὑπολείψεσθε* — 3δ10 *ὁ νόμος ἀπολύων ἡμᾶς τῆς αἰτίας τὸν ἀποκτείναντα καταλαμβάνει* — 4β8 *ὑμᾶς χρὴ.... ἀπολῦσαί με μᾶλλον ἢ καταλαβεῖν βούλεσθαι* ibidemque iterum; qua de causa Suidas non accurate mihi videtur cum *κολάζειν* conferre *καταλαμβάνειν* 2δ11 *παραινῶ ὑμῖν μὴ τὸν ἀναίτιον καταλαβόντας τὸν αἴτιον ἀφεῖναι.* Principalis enim significatio deprehendendi eodem modo mutata est, quo contraria verbi *ἀπολύειν* e propria liberandi in translatam absolvendi conversa et quo *ἀφεῖναι* 2δ11 dimittendi vim abiciens item absolvendi assumpsit. Quid? *ἁλίσκεσθαι* passivi notio nonne eandem subiit mutationem? Neque uni *καταλαμβάνειν* significatio est diversa ab usitata, quae exstat 2β1 *ἐάν τις ἄλλη συμφορὰ καταλαμβάνῃ αὐτούς, τὰ ἐναντία ἐπιγιγνόμενα ὀνίνησιν,* sed etiam alias voces offendimus eadem condicione usas, e quibus *προστρόπαιος* et *ἀλιτήριος* vocibus peculiarem usum in tetralogiis tribui iam supra (pag. 5) expositum est; reliquas addo:

μιαρία cum aliis sit mens nefaria, in declamationibus cum *μίασμα* tantum non confunditur, ut ipsum piaculum significet. Quod docent omnes fere loci quibus occurrit: 2γ9 *οὐδὲν ἕτερον ὑμῶν δεῖται ἢ τὴν αὐτοῦ μιαρίαν εἰς ὑμᾶς αὐτοὺς ἐκτρέψαι,* cui loco conferre licet 2α3 *ἅπαντος τοῦ μιάσματος ἀναχωροῦντος εἰς ἡμᾶς* — 2γ11 *ἀπολύεσθε αὐτοὶ τῆς ὑπὲρ τούτου μιαρίας,* quae verba manifesto spectant ad locum 2γ9 modo laudatum — 3γ12 *μὴ μεταλάβητε τῆς τούτου μιαρίας,* ubi sine dubio item facinus scelestum vel huius culpa, non animus improbus significatur. Neque est cur miremur, quod haec vis *μιαρία* voci tributa sit; in sceleris enim vocabulo easdem duas notiones reperimus, ut simul causam et rem effectam amplectatur, idemque cadit in *κακουργία.* Uno tantum loco, 2γ1 *ἣν (τὴν ἀτυχίαν) προϊστάμενος τῆς κακουργίας ἀφανίσαι τὴν αὐτοῦ μιαρίαν ζητεῖ,* utram notionem spectaverit scriptor, dubitari potest: equidem eam praetulerim, quam ceteris locis adhibuit, *κακουργίαν* igitur hic improbitatem interpretor.

διαπηγνύναι verbi notio 3γ5 *διὰ τῶν ἑαυτῶν πλευρῶν διαπῆξαι τὸ ἀκόντιον* prorsus abhorret ab usitatiore congelandi vel inde nata conserendi neque alibi exstat; hic enim non potest aliter verti nisi „transfigere", ut item usurpetur atque *τρῶσαι* in eadem paragrapho: *τὸν βαλόντα καὶ ἀποκτείναντα οὔτε τρῶσαι οὔτε ἀποκτεῖναί φησι* et 3β4, ubi *τὸ ἀκόντιον τὸν παῖδα τρῶσαι* dicitur; quibus locis hoc vocabulum *τιτρᾶν* et *τετραίνειν* verbis cognatum vulnerandi, laedendi vim non admittere recte vidit Ignatius (pag. 14): de nece, non de vulneratione pueri causa agitur neque ex vulnere multo post mortuus est, sed *παραχρῆμα ἀπέθανεν* 3α1.

In *ἄγχιστα* admireris temporalem notionem „proxime, nuperrime" 2α6 *τὰ ἄγχιστα ἱερῶν κλοπῆς δυοῖν ταλάντοιν γεγραμμένος ὑπ' αὐτοῦ;* apud ceteros enim ad propinquitatem vel loci vel generis refertur atque etiam in Iliadis versu (20, 18) *τῶν γὰρ νῦν ἄγχιστα μάχη πόλεμός τε δέδηεν* vis localis facile defenditur; neque tamen in hoc transitu ceteroqui pervulgato offendemus.

ἁγνεύειν pro transitivo *ἁγνίζειν* non modo 2γ11 *ἁγνεύετε τὴν πόλιν,* sed etiam apud Antiphontem 6, 4 *τὸ νομιζόμενον .... δεδιὼς ἁγνεύει ἑαυτόν;* quem singularem usum iam veterum admirationem movisse testes nobis sunt Harpocration et grammaticus in Bekkeri anecdotis (1, 338). Fortasse quod alia verba in *εύω* desinentia, ut *δημεύω, παιδεύω, φυτεύω* active, non passive usurpari viderat Antiphon, *ἁγνεύειν* quoque verbo activam vim attribuit et scriptor tetralogiarum, si hunc separamus ab illo, hac re eum imitatus est.

Vocabulis igitur adhuc enumeratis ut tetralogiarum elocutionem Atticam iudicare non prohibemur, ita ne Herodotea quidem quae in iis deprehenduntur huic sententiae obsistunt. Usui enim poeticarum vocum apud Herodotum et Ionicarum apud auctorem declamationum eadem causa subest: neuter impedire poterat quominus ex ea lingua, quae cum scripsit valebat, in suam vocabula quaedam sensim irreperent. Annon apud Thucydidem in voces incurrimus, quarum usu cum patre historiae solo ex aequalibus consentit? Affero *ἀνακῶς* Thuc. 8, 102, 2. Her. 1, 24, 29. 8, 109, 21 — *ἀντιπόλεμος* Thuc. 3, 90, 1. Her. 4, 134, 7. 140, 10. 7, 236, 17. 8, 68β2 — *ὁμαιχμία* Thuc. 1, 18, 3. Her. 7, 145, 12. 8, 140α21. Haec autem sunt vocabula Ionica in declamationibus obvia:

καταδοκεῖν, Attice *ὑποπτεύειν,* 2β2 *καταδοχθεὶς φονεὺς εἶναι ἀνοσίως ἁλώσομαι,* cum 2β4 pro hoc participio adiectivum *ὕποπτος* adhibeatur: *τούτων ὑπόπτων ὄντων ἐγὼ δικαίως ἂν καθαρὸς δοκοίην εἶναι* — 2β3 *διὰ τῆς ἔχθρας τὸ μέγεθος εἰκότως ὑφ' ὑμῶν καταδοκοῦμαι* — 2γ7 *διὰ τὸ φανερὰν εἶναι τὴν ὑποψίαν αὐτῷ μὴ καταδοκεῖσθαι (ἀξιοῖ) ὑφ' ὑμῶν,* ubi prope substantivum *ὑποψία* in hac tetralogia saepius obvium collocatur; nondum igitur qui haec scripsit verbum *ὑποπτεύειν* videtur cognovisse.

ἀναγιγνώσκειν vim Ionicam persuadendi semel ostendit, 2β7 *ὑπὸ τῶν κυρίων ἀναγιγνωσκόμενον ἐπινεῦσαι (αὐτὸν) ἦν εἰκός,* pro quo 2δ7 *πείθειν* substituitur: *ὑπὸ τῶν κυρίων.... πεισθεὶς καταψεύδεσθαί μου,* ut ceteros locos quibus hoc occurrit

praeteream; sed *ἀναγιγνώσκειν* in orationibus Antiphonteis est legere, recitare, ut apud alios scriptores Atticos: 5, 56 bis. 6, 38.

ἀτρεμίζειν et proprie et translate usurpatur, in altera tetralogia identidem de eo qui loco suo non cedit: 3β5. δ4. 5, in prima de iis qui novarum rerum studio abstinent: 2δ9 *τοῖς εὐτυχοῦσιν ἀτρεμίζειν* (*συμφέρει*).

οἴδαμεν, quod 2α3 occurrit, non minus quam *οἶδας, οἴδατε, οἴδασι* linguae Ionicae est; quibus e formis *οἶδας* apud Homerum in Odyssea 1, 337 offendimus.

Veniamus nunc, quoniam propter singula vocabula vel poetica vel obsoleta vel alius dialecti vidimus non iure ab Attico scriptore tetralogias abiudicari, ad rationem quam earum auctor in verbis componendis secutus est.

Huc spectat *πειρᾶσθαι* Ionum more cum participio coniunctum 2γ1 *ὡς οὐκ ὀρθῶς ἀπελογήθη, νῦν πειρασόμεθα ἐλέγχοντες,* cum Attica constructio 2α3 exstet: *πειρασόμεθα ὑμῖν δηλοῦν ὡς ἀπέκτεινε τὸν ἄνδρα* eademque sola in orationibus. Hic autem duplex usus verbi *πειρᾶσθαι* comparari potest cum verborum *περιορᾶν, ἐπιλανθάνεσθαι, μεμνῆσθαι, ἄρχεσθαι,* aliorum, quae cum participio aut infinitivo coniunguntur, prout res de qua quaeritur iam accidit aut nondum coepta est. Alia minus usitata scriptori tetralogiarum cum Thucydide communia sunt. Ut igitur apud hunc 7, 63, 1 *μὴ πρότερον ἀξιοῦν ἀπολύεσθαι ἢ τοὺς.... ὁπλίτας ἀπαράξητε* pro *ἢ* exspectamus *πρὶν ἂν* 2α2 *οὐ πρότερον ἐπιχειροῦσιν ἢ πάσης ὑποψίας φυλακὴν ποιήσωνται,* ac desideramus *ἂν* 1, 29 *οὐδὲν ἴσασι πρίν γ' ἤδη ἐν αὐτῷ ὦσι τῷ κακῷ καὶ γιγνώσκωσι τὸν ὄλεθρον ἐν ᾧ εἰσιν.* Hanc autem coniunctionem temporalem *πρίν* Thucydides poetarum et Herodoti more saepius cum nudo coniunctivo copulat: 6, 10, 5. 6, 29, 2. 6, 38, 2. 8, 9, 1. 8, 9, 3 eodemque modo *μέχρι* 1, 137, 2 et *μέχρι οὗ* 3, 28, 2. 4, 16, 2. 4, 41, 1. 4, 46, 3 usurpat, *οὗ* locale 4, 17, 2 *οὗ βραχεῖς* (*λόγοι*) *ἀρκῶσι μὴ πολλοῖς χρῆσθαι,* pronomen relativum 4, 18, 4 *οἵτινες.... νομίσωσι.* Etiam apud indicativum in enuntiatis condicionalibus *ἂν* interdum deest, sed facile excusatur: 2β3 *ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔργου φανερὸς γενόμενος ἀπωλλύμην* — 2β9 *ἁλοὺς τὴν γραφὴν τῆς μὲν οὐσίας ἤδη ἐκστησόμενος, τοῦ δὲ σώματος καὶ τῆς πόλεως οὐκ ἀπεστερούμην* — 3δ4 *οὐ γὰρ ἀτρεμίζων ἀπέθανεν,* contra 3β5 *οὐ γὰρ ἂν ἐβλήθη ἀτρεμίζων* — 4β6 *οὐ γὰρ εὖ φρονῶν ἔτυπτέ με;* ubicumque gravius affirmat orator, quod profert, *ἂν* omisso ac pro explorato ponit. Cuius usus exempla aliorum afferre non opus erit. Nec *μή* post verba negantia in tetralogiis infinitivo adiectum de earum Attica lingua suspicionem excitat: in verbis negandi *ἀπολύειν,* in verbis impediendi *ἀποστερεῖν* est ducendum, illud 3β9 *ὅδε ἀπολύεται μηδὲ ἀκουσίως ἀποκτεῖναι αὐτόν* et statim post *ἀμφοῖν ἀπολύεται τοῖν ἐγκλημάτοιν, μήτ' ἄκων μήτε ἑκὼν ἀποκτεῖναι,* apud Thucydidem 1, 95, 5 et 1, 128, 3 *ἀπολύεσθαι μὴ ἀδικεῖν,* hoc 2δ1 *ἀποστερούμενος ὑπ' αὐτῶν μηδὲ τὰς παρούσας ἀτυχίας ἀνακλαύσασθαι πρὸς ὑμᾶς,* apud Thucydidem 7, 6, 4 *ἐκείνους.... ἀπεστερηκέναι.... μὴ ἂν ἔτι σφᾶς ἀποτειχίσαι* similiterque apud Antiphontem est 5, 32 *ἴσως ἄν.... ἀπετρέπετο μηδὲν κατ' ἐμοῦ*

καταψεύδεσθαι — 6, 15 *ἣν (τὴν τύχην).... οὐδεὶς οἷός τ' ἂν εἴη ἀποτρέψαι μὴ οὐ γενέσθαι ἥντινα δεῖ ἑκάστῳ.*

In verbis 2γ9 *λέγομεν ὑμῖν, εἰ μήτε ἐκ τῶν εἰκότων μήτε ἐκ τῶν μαρτυρουμένων οὗτος νῦν ἐλέγχεται, οὐκ ἔστιν ἔτι τῶν διωκομένων ἔλεγχος οὐδείς* desideramus particulam *ὅτι*, quae absentia fortasse ad laxiorem compositionem antiquissimorum scriptorum referenda est eademque auctoritas priscae linguae effecisse potest, ut 2δ5 *οὐδένα οὕτω θερμὸν.... εἶναι δοκῶ ὅντινα οὐκ ἂν.... φεύγειν μᾶλλον ἢ.... περὶ τῆς ψυχῆς κινδυνεῦσαι* rhetor scriberet, tanquam de *ὥστε*, non de pronomine relativo enuntiatum suppositum pendeat, nisi *εἰκός* post *μᾶλλον* per incuriam librarii excidisse sumere malumus. Neglegentiam porro contrahit scriptor tetralogiarum 3β10 *ἀπολυόμενος.... ὑπὸ τοῦ νόμου.... οὐδὲ τῶν ἐπιτηδευμάτων εἵνεκα δίκαιοι τοιούτων κακῶν ἀξιοῦσθαί ἐσμεν*, quam numeri mutationem etiam apud alios reperimus, ut apud Antiphontem 5, 22 *οὔτ' αὖ ἐγὼ ἄνευ προφάσεως ἱκανῆς φαίνομαι τὸν πλοῦν ποιησάμενος.... οὔτε κατασχόντες εἰς τὸ χωρίον τοῦτο ἀπὸ παρασκευῆς οὐδεμιᾶς, ἀλλ' ἀνάγκῃ χρησάμενοι*, apud Thucydidem 1, 120, 3 *(ἀνδρῶν) ἀγαθῶν (ἐστιν) ἀδικουμένους ἐξ εἰρήνης πολεμεῖν.... μήτε τῷ ἡσυχίῳ τῆς εἰρήνης ἡδόμενον ἀδικεῖσθαι* — 3, 109, 2 *Δημοσθένης μετὰ τῶν ξυστρατήγων Ἀκαρνάνων σπένδονται.... τοῖς ἄλλοις ἄρχουσι τῶν Πελοποννησίων.... βουλόμενος ψιλῶσαι τοὺς Ἀμπρακιώτας.* Nec 3β8 *οὐ συνηδομένων μὲν οὐδὲ συνεθελόντων ἡμῶν* accurate expressa sunt; quocum enim, quaeso, pater rei dicitur laetari? Immo idem haec verba negative significant quod affirmative quae subsequuntur: *συναλγούντων δὲ καὶ συλλυπουμένων, συν* igitur et ad negationem et ad participium pertinet, ut hyperbaton quoddam hic locus contineat pro *σὺν (τῷ κατηγόρῳ) οὐχ ἡδομένων οὐδ' ἐθελόντων ἡμῶν.* Inusitatae autem collocationis alia exempla cum in tetralogiis tum apud Thucydidem exstant:

Atque ut praetermittam vocabula cum gravitate in initium enuntiati promota, ne genetivos quidem vocibus e quibus pendent praepositos, ut *διὰ τῆς ἔχθρας τὸ μέγεθος* 2β3 — *τοῦ φόνου τοῖς ἐπιτιμίοις* 4α4. 6. β3 mirabimur comparantes exempla et primae orationis: 1, 5 *τοῦ τεθνεῶτος τὴν τιμωρίαν* — 1, 13 *τῶν πραχθέντων τὴν σαφήνειαν* et Thucydidea: 1, 65, 3 *μετὰ τῆς Ποτειδαίας τὴν ἀποτείχισιν* — 3, 23, 5 *διὰ τοῦ χειμῶνος τὸ μέγεθος* — 3, 46, 4 *μὴ ἀπὸ τῶν νόμων τῆς δεινότητος, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἔργων τῆς ἐπιμελείας.* Sed audacius vocabula inter se iungenda, imprimis pronomina a substantivis vel verbis separantur: 2α2 *γιγνώσκοντας οὖν ὑμᾶς χρὴ ταῦτα.... σφόδρα πιστεύειν αὐτῷ* — 2α9 *τὰ μὲν βιασάμενα ταῦτά ἐστιν ἀσεβῆσαι αὐτόν* — 2δ9 *ἐκ τῶν μεταβολῶν ἐπίδοξος ἡ δυσπραγία μεταβάλλειν αὐτῶν ἐστιν* — 4α2 *τοὺς πρώτους γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν* — 2β4 *τοὺς ἄλλους ὁ κατήγορος ἀπολύων* — 4α1 *τὰς φονικὰς δίκας περὶ πλείστου τοὺς κρίνοντας ποιεῖσθαι διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν κατὰ τὸ δίκαιον;* quibus exemplis nixus 2δ10 quoque *τὰ ἴχνη τοῦ φόνου οὐκ εἰς ἐμὲ φέροντα, ἀλλ' εἰς τοὺς ἀπολυομένους ἀποδέδεικται ὑπ' αὐτῶν* hunc ordinem, ut *ὑπ' αὐτῶν* non post *ἀπολυομένους* collocetur, servatum velim. Quin etiam de industria fortasse hac ambiguitate reus

utitur, quasi ipsi qui accusant inviti verbis suis reum absolverint et in suspicionem vocarint quos absolverunt. Quae traiectiones apud Thucydidem frequentissimae sunt, ut pauca exempla temere lecta sufficiant: 5, 71, 3 *δείσας δὲ Ἆγις μὴ σφῶν κυκλωθῇ τὸ εὐώνυμον* — 5, 91, 2 *ἐπὶ σωτηρίᾳ νῦν τοὺς λόγους ἐροῦμεν τῆς ὑμετέρας πόλεως* — 7, 37, 2 *αἱ νῆες μετὰ τοῦτο εὐθὺς ἐπεξέπλεον τῶν Συρακοσίων καὶ ξυμμάχων*, ut omittam pervulgatum genus earum transgressionum, quibus participium substantivo suo a membro apposito disiungatur, id quod dupliciter fieri posse demonstrat verbi causa locus 3, 54, 5 *τῶν ἐς Ἰθώμην Εἱλώτων ἀποστάντων* comparatus cum 7, 70, 2 *ἐκράτουν τῶν τεταγμένων νεῶν πρὸς αὐτῷ*. Atque etiam particulae traiectae eaedem apud historicum quae in tetralogiis reperiuntur: 2β6 pro *εἰ μὴ καὶ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις διεφθάρη* exspectamus *εἰ καὶ μὴ* etc., sed rei propter quam interiit, illa collocatione maior vis tribuitur itemque Thuc. 2, 11, 6 *εἰ μὴ καὶ νῦν ὥρμηνται* et 6, 60, 3 *εἰ μὴ καὶ δέδρακεν* explicanda sunt. Saepius *γάρ* et *δέ* inusitate collocata reperimus: tertio loco 2α5 *ἐκ παλαιοῦ γὰρ* — 2β2 *εἰς τοῦτο γὰρ βαρυδαιμονίας* — 2β13 *παρ' ἐμοῦ δὲ ὠφελεῖσθαι* — 2γ4 *οὐκ ὀρθῶς δὲ* — 2γ6 *μὴ παραχθῆναι δὲ* — 2γ8 *μὴ δεδηλωμένων δὲ* — 2δ8 *μὴ παραγενέσθαι δὲ* — 3γ5 *εἰς τοῦτο γὰρ τόλμης* — 3γ7 *τὸ παράπαν δὲ* — 3γ8 *οὐ δίκαιος δὲ* — 3γ10 *ἐξ ἀμφοῖν δὲ* — 4β8 *μὴ ὀρθῶς δέ*, quarto loco 3δ2 *ἐκ τῶν λεγομένων γάρ;* ubique apparet studium verba unam notionem continentia non separandi et vocabuli, quod ipsi particulae antecedit, quam gravissime proferendi; a negatione autem *δέ* simul idcirco seiungitur, ne cum *οὐδέ* confusio fiat. Similiter de *καί .... δέ* res se habet: *καί* a voce cui maiorem vim tribuit divelli non debet, itaque *δέ* tertium obtinet locum. Nec abhorrent ab hoc usu scriptores Attici: Ant. 1, 31 *ἐν ὑμῖν δὲ* — 5, 32 *ἐν τούτῳ γὰρ* — 6, 20 *ἐξ ἀρχῆς γὰρ* — 6, 28 *τῶν αὐτῶν δὲ* — 6, 42 *τὴν δίκην δὲ* — Thuc. 1, 6, 3 *ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ* — 3, 4, 1 *οὐκ ἐσακουόντων δὲ* — 3, 11, 3 *ἐν τῷ αὐτῷ δὲ* — 3, 58, 2 *οὐκ ἐχθροὺς γάρ*, quae exempla e multis attulisse satis erit.

Simili autem ex studio atque hae traiectiones fluxerunt crebrae illae simplicium verborum circumlocutiones eiusmodi, ut substantiva cum *γίγνεσθαι* vel *εἶναι* vel *ποιεῖσθαι* coniuncta adhibeantur, ubi talem ubertatem non putamus necessariam (Kühner, ausführl. griech. Gramm. 2, 276, 4). Cuius usus exempla laudo haec: 2α2 *οὐ πρότερον ἐπιχειροῦσιν ἢ πάσης ὑποψίας φυλακὴν ποιήσωνται* cautionem adhibuerunt, ut Thuc. 3, 46, 4 *τὴν φυλακὴν μὴ ἀπὸ τῶν νόμων τῆς δεινότητος ἀξιοῦν ποιεῖσθαι* — 7, 17, 4 *πρὸς τὴν σφετέραν ἀντίταξιν τῶν τριήρων τὴν φυλακὴν ποιούμενοι*; 3β2 *δέομαι ὑμῶν.... μή.... δόξῃ.... τὴν κρίσιν ποιήσασθαι*, 2β2 *ἀνατροπεὺς τοῦ οἴκου ἐγένετο*, 2β6 *ἵνα μὴ μηνυτὴς τοῦ ἀδικήματος γένηται*, 2β13 *δέομαι ὑμῶν.... ἐλεήσαντας τὴν ἀτυχίαν μου ἰατροὺς γενέσθαι αὐτῆς*, 2δ3 *οὐ μηνυτὴς οὐδ' ἐλεγκτὴρ τῶν ἀποκτεινάντων εἰμί*, 3β6 *οἱ ἁμαρτάνοντες, ὧν ἂν ἐπινοήσωσί τι δρᾶσαι, οὗτοι πράκτορες τῶν ἀκουσίων εἰσίν*, 3γ10 *ὁ συλλήπτωρ καὶ κοινωνός.... τῆς ἁμαρτίας γενόμενος*, 3δ6 *πάντες ἂν οἱ συμμελετῶντες συμπράκτορες εἶεν τῆς αἰτίας*, 4γ4 *τοῦτον βουλευτὴν τοῦ θανάτου φησὶ γενέσθαι* ibidemque iterum, 4δ5

τῆς πληγῆς βουλευτὴς ἐγένετο. Nonnulla e substantivis ad has circumlocutiones adhibitis scriptorem declamationum ipsum sibi finxisse supra (pag. 7) vidimus eoque magis hunc pleniorem dicendi modum praecipue adamasse demonstratur.

Iam Antiphontis orationes et Thucydidis historiam percurrens insignem in hoc usu consensionem reperio. Atque duo exempla Thucydidea inter tetralogiarum commemoravi; praeter ea cum verbo ποιεῖσθαι coniunctum est, ut pauca tantum et illis ambobus communia afferam, καταφυγή Ant. 1, 4, κατάφευξις Thuc. 7, 41, 1 — ἔλεγχος Ant. 1, 7. Thuc. 3, 61, 1 — δίωξις Ant. 6, 7. Thuc. 8, 102, 2 — διάγνωσις Ant. 6, 18. Thuc. 1, 50, 2, pro quo διαγνώμη 3, 67, 7 adhibetur; abhorret autem haec vox non minus a sermone Attico quam διαγνώμων illud scriptoris tetralogiarum 3γ3 ὦ ἄνδρες ἀνοσίων ἔργων τιμωροί, ὁσίων δὲ διαγνώμονες, quod quamquam per se positum est cum vocibus ἀνατροπεύς, ἐλεγκτήρ, βουλευτής supra aequavi. Nam studium maiorem vim orationi tribuendi, quo quidem in simplicibus verbis evitandis illi ducuntur, in hoc quoque vocabulo sane apparet locum obtinente enuntiati relativi οἳ ὁσίων διαγνώμονές ἐστε pro ὅσια διαγιγνώσκετε. Verba porro γίγνεσθαι et εἶναι pro passivo verbi ποιεῖσθαι ab Antiphonte identidem in circumlocutionibus usurpantur, velut 1, 2 τῷ μὲν τεθνεῶτι τιμωροὺς γενέσθαι, τῷ δὲ ἐπεξιόντι βοηθούς — 1, 10 βασανιστὰς αὐτοὺς τούτους ἐκέλευον γίγνεσθαι — 5, 21 πείσας τὸν ἄνδρα.... σύμπλουν μοι γενέσθαι — 5, 94 νῦν μὲν γνωρισταὶ γίγνεσθε τῆς δίκης, τότε δὲ δικασταὶ τῶν μαρτύρων, νῦν μὲν δοξασταί, τότε δὲ κριταὶ τῶν ἀληθῶν — 5, 32 αὐτοὶ ἦσαν καὶ βασανισταὶ καὶ ἐπιτιμηταὶ τῶν σφίσιν αὐτοῖς συμφερόντων — 5, 66 ἐν τούτῳ μοι ἀξιοῦτε τὴν ἀπόφευξιν εἶναι, ubi forma substantivi item inusitata est atque apud Thucydidem κατάφευξις 7, 38, 3. 41, 1 et διάφευξις 3, 23, 5. Ex huius autem exemplis creberrimis, quorum magna pars e substantivis in της vel σις cadentibus constat, nonnulla ut in tetralogiis a solo studio ubertatis profecta maturiori sermoni Attico repugnant: praeter κατάφευξις et διάφευξις modo laudata πρέσβευσις 1, 73, 1 — κύρωσις 6, 103, 4 — διαγνώμη 1, 87, 6 — τολμητής, κινδυνευτής 1, 70, 3 — μελλητής, ἀποδημητής 1, 70, 4 — εἰκαστής 1, 138, 3. Verum non modo similia, sed etiam plane eadem apud Thucydidem inveniri videmus atque in tetralogiis: μηνυτὴν γίγνεσθαι est 1, 132, 5. 3, 2, 3. 8, 50, 3 — ἰατρὸν γίγνεσθαι eadem translatione adhibita 6, 14 τῆς πόλεως βουλευσαμένης ἰατρὸς ἂν γενέσθαι — 7, 63, 4 κοινωνοὶ ἡμῖν τῆς ἀρχῆς ὄντες.

Ex adiectivorum exemplis quae huc pertinent affero duo insigniora: 3γ9 ὁ παῖς.... ὑπὸ τοῦ μειρακίου ἀποθανὼν ἀδικοῖτ' ἂν ἀτιμώρητος γενόμενος pro μὴ τιμωρηθείς — 2β11 ὑμᾶς ἀσεβεῖς εἰς τοὺς θεοὺς πείθοντες καταστῆναι pro ἀσεβῆσαι; atque cum substantivis καταστῆναι, sicut εἶναι et γίγνεσθαι, in prima oratione saepius coniungitur: ἀντίδικοι (καὶ φονῆς) καθεστᾶσιν 1, 2. 4. 5 — βοηθὸς καθέστηκε 1, 24.

Participiorum cum εἶναι coniunctorum exempla quaedam addo, e quibus quod est 2γ5 τοῦτον ἂν τὸν ἐπιβουλεύσαντα ἤλεγχεν ὄντα vel quod 2γ8 τίνες ἦσαν οἱ ἀποκτείναντες αὐτόν vel quod 3δ4 ὁ παιδοτρίβης ἂν ὁ ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη nihil

habet admirationis, cum talia participia cum vi et gravitate dicta non inusitata sint; Antiphon quidem, ut huius tantum rationem ducam, scribit 5, 30 *οὗτος ἦν ὁ πεισθεὶς ὑπὸ τούτων* — 5, 68 *εἰκάζειν οἵτινες ἦσαν οἱ ἀποκτείναντες Ἐφιάλτην* — 5, 90 *ὑμεῖς ἔσεσθε οἱ κἀκεῖ περὶ ἐμοῦ διαψηφιζόμενοι.* Sed alius generis est 3δ5 *τὸ μειράκιον οὐδενὸς μᾶλλον τῶν συμμελετώντων ἐστὶ τοῦ σκοποῦ ἁμαρτόν,* ubi circumscribendi nulla causa suberat nisi illud studium copiosae orationis; tali autem modo participium aoristi cum *εἶναι* coniunctum reperimus apud poetas quoque, ut Aesch. Suppl. 443 *γηρύσασ᾽ ἔσῃ* — Soph. Oed. R. 90 *προδείσας εἰμί* — 970 *ἂν θανὼν εἴη,* apud Thucydidem 4, 54, 3 *ἦσαν γενόμενοι (λόγοι),* cuius usus plura exempla apud Kuehnerum reperias (ausführl. griech. Gramm. 2, 35 A. 3). Tertio loco verbi *ἀρκεῖν* circuitum commemoro: *ἀρκοῦσά ἐστι* scil. *ἡ αἰσχύνη* vel *ἀπολογία* 2γ3 et 2δ10 — *ἀρκοῦν ἐστι* 2β2 et 4γ6, apud Thucydidem 2, 35, 1 *ἐμοὶ ἀρκοῦν ἂν ἐδόκει εἶναι,* pro adiectivo autem hoc *ἀρκοῦν* habitum et cum *ἱκανόν* aequatum esse adverbium *ἀρκούντως* significat apud ipsum Thucydidem exstans.

Videmus igitur hanc circumscribendi rationem apud antiquissimos scriptores Atticos usitatam ne a tetralogiarum quidem scriptore alienam fuisse. Itemque res se habet de neutris illis participiorum et adiectivorum, quorum usu Antiphon et Thucydides a posteris valde differunt, significantius positis pro substantivis abstractis (Kühner, ausführl. griech. Gramm. 2, 13, 3). Scribit igitur ille 5, 10 *τίμησίν μοι ἐποίησαν.... οὐ τοῦ ἐμοὶ συμφέροντος ἕνεκα, ἀλλὰ τοῦ σφίσιν αὐτοῖς λυσιτελοῦντος* — 5, 73 *κρεῖσσον χρὴ γίγνεσθαι ἀεὶ τὸ ὑμέτερον δυνάμενον ἐμὲ δικαίως σῴζειν ἢ τὸ τῶν ἐχθρῶν βουλόμενον ἀδίκως με ἀπολλύναι* — 5, 96 *τὸ ὑμέτερον εὐσεβὲς παρείς,* ut omittam *τὸ δίκαιον* non semel exstans et apud omnes Atticos pervulgatum; Thucydidea exempla haec affero: 1, 39, 2 *τὸ εὐπρεπὲς τῆς δίκης παρέσχοντο* — 1, 69, 3 *διὰ τὸ ἀναίσθητον ὑμῶν ἧσσον θαρσοῦσι* — 1, 90, 2 *τὸ βουλόμενον καὶ ὕποπτον τῆς γνώμης οὐ δηλοῦντες ἐς τοὺς Ἀθηναίους* — 2, 35, 2 *τῷ ὑπερβάλλοντι αὐτῶν (τῶν ἐπαίνων) φθονοῦντες ἤδη καὶ ἀπιστοῦσιν* — 5, 104 *πιστεύομεν.... τῆς δυνάμεως τῷ ἐλλείποντι τὴν Λακεδαιμονίων ἡμῖν ξυμμαχίαν προσέσεσθαι.* Quibus exemplis e maiore numero sumptis comparia sunt haec duo declamationum: 2γ3 *ἡ αἰσχύνη.... ἀρκοῦσα ἦν σωφρονίσαι τὸ θυμούμενον τῆς γνώμης,* cum 4γ2 pro hoc participio simplex *θυμός* exstet: *ἡ ἀπειρία τῆς μέθης ἐπαίρει τῷ θυμῷ χαρίζεσθαι,* apud Thucydidem 7, 68, 1 *πρὸς τοὺς ἐναντίους.... ἀποπλῆσαι τῆς γνώμης τὸ θυμούμενον;* 3β10 *ἐπὶ τῇ τούτου διαφθορᾷ ἀβίωτον τὸ λειπόμενον τοῦ βίου διάξω;* neque *τὸ δίκαιον* apud scriptorem tetralogiarum deest: 3β12 *τὸ δίκαιον αἰδούμενοι* — 3γ4 *τῷ δικαίῳ πιστεύων* — 4α1 *διώκειν τε καὶ μαρτυρεῖν κατὰ τὸ δίκαιον* — 4α3 *οἱ παρὰ τὸ δίκαιον κρίνοντες ἢ μαρτυροῦντες.*

Vetustum porro ac poeticum colorem quaedam elatius dicta ostendunt, qua sublimitate orationis tertia tetralogia reliquis excellit: 4α2 *ὁ θεὸς βουλόμενος ποιῆσαι τὸ ἀνθρώπινον φῦλον τοὺς πρώτους γενομένους ἔφυσεν ἡμῶν τροφέας τε παρέδωκε τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, ἵνα μὴ σπάνει τῶν ἀναγκαίων προαποθνήσκοιμεν τῆς*

γηραιοῦ τελευτῆς, quibus in verbis τὸ ἀνθρώπινον φῦλον, γῆ et θάλασσα τροφεῖς appellatae, ἡ γηραιὸς τελευτή luculenta exempla sunt grandis dictionis, quali poetae utebantur. Nec minus alii loci tertiae tetralogiae cothurnis incedunt: 4α7 ὑμᾶς χρή.... τὴν βουλεύσασαν ψυχὴν ἀνταφελέσθαι αὐτόν — 4γ1 τοὺς τιμωροῦντας αὐτῷ ζῶν τε καὶ βλέπων φονέας αὐτοῦ φησιν εἶναι — 4γ2 ἡ μεγαλοφροσύνη τοῦ γένους.... ἐπαίρει τοὺς νέους τῷ θυμῷ χαρίζεσθαι — 4β7 τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας αὐτοὶ φονῆς εἰσιν (scil. οἱ κατήγοροι), paulo aliter 1, 20 τὸν ἑαυτῶν φονέα, h. e. τὸ φάρμακον, μεταχειριζόμενοι ἐκπίνουσιν ὑστάτην πόσιν, cum contraria imago 2β13 reperiatur: δέομαι ὑμῶν.... ἐλεήσαντας τὴν ἀτυχίαν μου ἰατροὺς γενέσθαι αὐτῆς, ipsumque hoc genus translationum bis praeterea in tetralogiis deprehendimus: 2δ12 ἀνίατος ἡ μετάνοια τῶν τοιούτων ἐστίν — 4γ7 τῷ τούτου φόνῳ τὸ μήνιμα τῶν ἀλιτηρίων ἀκεσαμένους nec deest apud Antiphontem: 5, 91 ἀνήκεστον ἔργον, ἀκεστὸν πρᾶγμα, τὰ ἀνήκεστα — 5, 94 τούτου φάρμακον τὸ αὖθις κολάσαι, τοῦ δὲ.... ἐξεργάσασθαι ἃ οὗτοι βούλονται οὐκ ἔστιν ἴασις, aut apud Thucydidem: 3, 39, 7 μηδὲν παθεῖν ἀνήκεστον, cum dictio 5, 65, 2 κακὸν κακῷ ἰᾶσθαι in proverbium venerit — 6, 14 τῆς πόλεως βουλευσαμένης ἰατρὸς ἂν γενέσθαι. Adde translationem de re navali sumptam 2β1: οἱ δυστυχοῦντες ὁπόταν ὑπὸ χειμῶνος πονῶσιν εὐδίας γενομένης παύονται, atque χειμών tanquam Romanorum tempestas creberrime sic usurpatur, rarius εὐδία, serenitas, attamen iam apud Aeschylum translate obvium: Sept. 778 πόλις δ' ἐν εὐδίᾳ. Etiam quod est 2α5 ἀπολυομένης τῆς ὑποψίας ἁπάσης nescio an huc referendum sit, ut pro suspecto homine ipsam suspicionem a culpa liberari rhetor faciat. Quae opinio eo confirmatur, quod pro nudo dativo rei ille identidem ὑπό cum genetivo ad verbum passivum apponit, humana igitur specie rem induit: 2α8. 9. 10. β1. 7. γ8. 3α1. β1. 2. 9. 10 bis. γ1. 3. 7. 4β3. 6. γ2. 5. δ8, qui usus perpaucis locis orationum, ubi poetarum lingua minus valeat, reperitur: 5, 21. 31. 41. 6, 25.

Cum hac elatione orationis cohaeret studium res augendi atque exaggerandi in tetralogiis apparens. Id enim agentes, ut gravissimis verbis animos eorum qui audiunt commoveant et suae quisque causae concilient, facile oratores veritatis fines transeunt atque audacius cogitata eloquuntur, quae interdum etiam inter se repugnant. Quod periculum minus rerum scriptori imminet, quippe cui res enarranti certa facta obstent, ne liberius exsultet indulgeatve nimis cogitationibus quae ipsius animum subeunt. Nec vero opus est ei tali luxuria ad res docendas, sed alia condicio orationis scriptae, alia auditae orationis; verba enim litteris mandata etiam atque etiam legi possunt, ex ore missa mox in oblivionem veniunt. At declamationes non ut audirentur, sed ut legerentur compositae sunt. Fateor, verum tamen illa veritatis superlatio in iis obvia huc referenda est, quod singulae tetralogiae instar sunt orationum vere habitarum. Recenseamus nunc exempla: 2α9 ἐξελεγχόμενος ὑπό τε τῶν εἰκότων ὑπό τε τῶν παραγενομένων, quamquam modo concessit accusator solum pedisequum de vi illata indicare potuisse; verum ita hunc locum defendere licet, ut

universe *τῶν παραγενομένων* rhetor dixerit non ratione habita verborum praecedentium. 3β10 legimus *ἐπὶ τῇ ἐμαυτοῦ ἀπαιδίᾳ ζῶν ἔτι κατορυχθήσομαι,* quod de se iam factum esse accusatores queruntur 3γ12 *οἱ ζῶντες κατορωρύγμεθα ὑπ' αὐτοῦ*; *ἀπαιδίαν* porro, ut paulo ante per similem superlationem *διαφθοράν,* orbitatem pater appellat, quae ei exsilio gnati imminet, verba accusatoris 3α2 *ὑμᾶς δὲ ἀξιῶ ἐλεοῦντας μὲν τὴν ἀπαιδίαν τῶν γονέων* respiciens, atque *νήπιον,* infantem, quo magis iudicum concitet misericordiam, 3β11 filium usque ad eam aetatem adultum, ut iaculando se exerceat. Ceterum item ac supra *διαφθορά* scriptor tetralogiarum utitur *διαφθείρειν* 3δ9 de exsulando. Verbis 3γ11 *ἡμεῖς.... αὐθένται καταγνωσθέντες* et *οἱ θανατώσαντες ἡμᾶς* eandem condicionem esse fingit accusator filii et suam, quo gravius iudicibus probet ipsius sortem cum sorte filii artissimo vinculo conexam esse. Quid? quod 3β9 rei pater causam agit perinde quasi solus caedis accusatus sit: *ᾧ (τῷ νόμῳ) πιστεύων.... ὡς φονέα με διώκει.*

Iam omnia quae de tetralogiarum elocutione adhuc exposui denuo perlustrans nonnulla sane concedo ab Attici sermonis consuetudine recedere, verum tamen ab homine Attico illas abiudicandas esse non adducor, ut censeam. Etenim quae vel forma vel sententia insignia exstant neque cum Thucydidis genere dicendi concinunt, ad poetarum aut Herodoti auctoritatem referenda esse vidimus, quam ne ille quidem defugit, ut eodem iure quo scriptorem tetralogiarum Thucydidem non Atticum liceret iudicare. Nunc autem ex ipsis his vestigiis linguae poeticae et Herodoteae concludemus aequalem fere horum scriptorum fuisse auctorem declamationum.

At praepropere ageremus, si propterea quod Atticam esse linguam tetralogiarum repperimus protinus Antiphontis eas esse statueremus. An generis linguae solius in talibus quaestionibus ratio habetur, elocutio quae quidem ad unum genus spectat neglegitur? Cum autem inter illius orationes, quintam et sextam scilicet, et tetralogias non pauca intercedant discrimina elocutionis, iure potius suspicemur, num unus putandus sit scriptor. At facile causa horum discriminum cognoscitur, conscripsit enim Antiphon tetralogias adulescens, orationes aetate iam grandior. Quo spatio separata scripta exhibebunt sane differentias quasdam, sed non tam crebras neque tam graves, qualium copiam haud spernendam in illis deprehendimus. Verum priusquam certum fiat iudicium de hac re, diligentius singula discrimina exponere oportebit, quod aggrediens ad alteram partem disputationis meae nunc venio.

Tetralogiis omnino dictio elatior est quam orationibus, qua sublimitate et verborum et sententiarum cum scriptor uteretur poetas eum imitatum intelleximus. Sed hac diversitate nondum duos scriptores esse probari arbitror. Quid enim vetat nos sumere Antiphontem cum tetralogias scripsit linguae poeticae parentem corroborata prosa oratione paulatim illius auctoritatem detrectavisse, quod ipsum in orationibus quinta et sexta licet animadvertere? Verum enim vero aliae sunt res gravioris ad hanc controversiam momenti.

Ac primum quaedam vocabula aut in tetralogiis aut in orationibus desi-

deramus, quorum absentia nulla causa satis excusatur, non qualia natura uniuscuiusque rei tractatae postulat, ut *βάλλειν* tetralogiae alteri peculiare vel *εἰςβαίνειν, ἐκβαίνειν* orationis quintae propria, sed ea quae usurpandi occasionem minime deesse alia eorum locum tenentia declarant.

Itaque tetralogiarum scriptor ad usitatissimas notiones faciendi et cogendi exprimendas bina vocabula promiscue adhibet: *δρᾶν* et *πράσσειν, βιάζεσθαι* et *ἀναγκάζειν*, in orationibus tantum *πράσσειν* et *ἀναγκάζειν* reperimus. Nam *ποιεῖν* nusquam occurrit pariter usurpatum atque *δρᾶν*, a quo ita fere differt ut facere ab agendo. Offendimus autem in tetralogiis *δρᾶν* vel *ἀντιδρᾶν* tricies quater: 2α7. 8. δ2. 5. 11. 3β1. 6 bis. 7 bis. 8 bis. γ1. 3. 8. δ5 bis. 4α3. 4. β2 bis. 5. γ1. 4 bis. 6 bis. δ5 bis. 6 ter. 8 bis, *πράσσειν* vicies semel: 2α1. β3. 11. γ3. 5. 8. 11. δ1. 3β2 bis. 3. 10. 12. γ3 bis. δ1. 2. 3. 4γ1. 2. δ11, neque distinguuntur, ut docent 2δ11. 4γ1. 6 *ἀνόσια δρᾶν* et 2β11 *ἀνόσια πράσσειν*, 3β8. γ8 *ὁ δράσας* et 3δ2 *ὁ πράξας;* contra in orationibus *δρᾶν* plane neglecto ubique *πράσσειν* usurpatur. Nec aliter res se habet de *ἀναγκάζειν* et *βιάζεσθαι*: illud occurrit in tetralogiis quater: 3β1. γ1 bis. 4δ3, hoc septies, active 2α9. 3β1. 4γ5. δ3, passive 2β4. 3β2. 4δ5, in orationibus nunquam pro frequenti *ἀναγκάζειν,* cum plane eadem verba pendeant 3β1 ex *βιάζεσθαι*: *αἱ χρεῖαι.... παρὰ φύσιν λέγειν καὶ δρᾶν βιάζονται,* 3γ1 ex *ἀναγκάζειν*: *ἡ χρεία παρὰ φύσιν καὶ λέγειν καὶ δρᾶν ἅπαντας ἀναγκάζει.* Vel has duas differentias non parvam iniciunt suspicionem. An oblitus sit Antiphon duo pervulgata verba? Facilius autem ferremus ea in solis orationibus, non in tetralogiis inveniri, quia hae adscriptae cum illis eidem homini in prius tempus caderent. Sed parum valent haec discrimina quamvis insignia, si aliis non fulciuntur.

Condemnandi et absolvendi notiones in tetralogiis et in orationibus diversis verbis efferuntur. Non quo nota verba *καταγιγνώσκειν, καταψηφίζεσθαι, ἀπολύειν* aut in illis aut in his desint, sed primas agunt alia ad iudicum sententias significandas alibi fere non adhibita. Declamationum enim *καταλαμβάνειν,* de cuius inusitata vi damnandi alio loco (pag. 9) verba fecimus, proprium est, in oratione quinta pro eo *ἀπολλύναι* substituitur, cui 2β3 *ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔργου φανερὸς γενόμενος ἀπωλλύμην* nihil cogit nos aliam notionem ac tritam pereundi tribuere eademque perdendi vel pereundi compluribus locis orationis quintae exstat: 15. 35 bis. 37. 41. 59. 61 bis. 66. 67. 69. 70. 73. 82 bis. 95 bis. Contra 5, 91 *τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον ἂν εἴη τοῦ μὴ δικαίως ἀπολέσαι* ex verbis inter se oppositis condemnandi vim hic praevalere intellegimus atque idem censuerim, ubicumque iudices *ἀπολλύναι* dicuntur: 71 *ἀναίτιόν με ὄντα ἀπολέσαντες* — 91 *ἤδη τισὶν ὑμῶν καὶ μετεμέλησεν ἀπολωλεκόσι* et *χρῆν τούς γε ἐξαπατῶντας ἀπολωλέναι* — 96 *ἐμοὶ οὐδεὶς λόγος ἔσται ἔτι...., ὡς παρανόμως ἀπωλόμην;* 5, 90 *ἀπολέσαντες* opponuntur *φεισαμένοις,* si Oxoniensi codici fidem habere licet, quae ipso verbo *φείδεσθαι* confirmatur potius quam imminuitur; similiter enim id usurpatum reperimus pro *ἀπολύειν* atque *ἀπολλύναι* pro *καταγιγνώσκειν.* Saepius *σῴζειν* in eadem oratione occurrit pro *ἀπο-*

λύειν, cuius vicem manifesto obtinet 5, 11 οὔτ' ἂν.... ἡλισκόμην ἄλλῳ.... πράγματι οὔτ' ἂν.... ἐσῳζόμην, sed etiam voci ἀπολλύναι oppositum plerumque sic accipiendum erit: 5, 3 πολλοὶ μὲν.... τοῖς ἀληθέσιν.... ἀπώλοντο, πολλοὶ δὲ.... τῷ ψεύδεσθαι.... ἐσώθησαν, quo spectat 5, 5 διὰ ῥήματα σωθῆναι et ἀπολέσθαι neque aliter interpretabimur 5, 46 καθ' ὅτι ἂν ὑμεῖς ὀρθῶς γνῶτε, κατὰ τοῦτο σῴζομαι, καθ' ὅτι δ' ἂν ψευσθῆτε τἀληθοῦς, κατὰ τοῦτο ἀπόλλυμαι, cum 5, 73 κρεῖσσον χρὴ γίγνεσθαι ἀεὶ τὸ ὑμέτερον δυνάμενον ἐμὲ δικαίως σῴζειν ἢ τὸ τῶν ἐχθρῶν βουλόμενον ἀδίκως με ἀπολλύναι ob membrum posterius propriae significationes servandi et perdendi valeant. Addo duo exempla illius usus translati: 5, 2 σωθῆναι μετὰ τῆς ἀληθείας εἰπόντα τὰ γενόμενα et 5, 85 ταὐτὰ ἐμέ τε σῴζει καὶ ὑμῖν νόμιμα καὶ εὔορκα γίγνεται. In tetralogiis non, ut καταλαμβάνειν pro καταγιγνώσκειν, vocabulum insignius dominatur, sed vulgatum ἀπολύειν praecipue in usu est, quod in oratione quinta quoque, sed rarius obvium fit. In sexta nec ἀπολλύναι nec σῴζειν legitur, verum ne hac absentia diversitates orationis quintae et tetralogiarum eodem spectantes defendi existimes, omnino perpaucas occasiones offert illa oratio tales notiones exprimendi itemque res se habet, ut hoc praemoneam, de ἀποκτείνειν; ἀπολύειν enim ter occurrit: 31. 32 bis, omisso loco communi 6 τοῦτο οὐκ ἔστιν ὅποι ἂν ἀνενεγκὼν τις τὴν αἰτίαν ἀπολύσαιτο, ubi aliter usurpatur, ἀποψηφίζεσθαι quater: 10. 14. 33. 48, ut in quinta: 85. 90. 96 bis, cum in tetralogiis desit, καταψηφίζεσθαι bis: 4. 10, ἀποδικάζειν semel (47) nec saepius contrarium καταδικάζειν (ibidem).

Praeter ἀποκτείνειν et in oratione quinta et in tetralogiis crebro adhibitum διαφθείρειν in his identidem reperimus, cui apud Antiphontem ἀπολλύναι nescio an respondeat in declamationibus semel occurrens. Contra διαφθείρειν semel in orationibus exstat, sed nequaquam pro ἀποκτείνειν: 5, 72 (ἡ ὀργὴ) τὴν γνώμην διαφθείρει τοῦ ἀνθρώπου; corrumpendi igitur notio hic valet. Duae autem significationes διαφθείρειν verbo sunt in declamationibus: altera perdendi, quae ut notio verbi ἀπολλύναι non raro ad damnatoriam accedit: 2α8. β2. 7. 13. δ7. 3δ9. 4β1. δ10, altera necandi plurimis locis: 2α4 bis. β5. 6 bis. γ2. 9. δ4. 5. 6. 3γ7. 11. δ4 bis. 8. 4α4. β4 bis. 6. γ4 bis. 5 bis. Neutra vero significatio quod ne semel quidem in orationibus reperitur, hoc nullam nobis inicit suspicionem?

Infelicitatis variae voces ex radice τυχ formatae etiam atque etiam e tetralogiarum sermone emergunt: δυστυχής 2α10. δ9 — δυστυχεῖν 2β1 — ἀτυχής 2β1 — ἀτυχεῖν 2δ9. 4β6 — ἀτυχία 2β13. γ1. δ1 bis. 4. 3γ8. δ10. 4β6. γ4 bis. δ8. 9; e quibus ne unam quidem in orationibus reperimus, quamquam res iis tractatae satis occasionis dant nec desunt similia vocabula partim minus usitata: ταλαιπωρεῖν 5, 93 — κακοδαίμων 5, 43 — κακοδαιμονία 5, 79 — κακοπαθεῖν 5, 2. 18 — κακοπάθεια 5, 18 — συμφορά 5, 1. 6, 1 — κακά 5, 1; τύχη autem 4δ8 ter pro ἀτυχία exstans: ἔστι ἡ τύχη τοῦ ἄρξαντος καὶ οὐ τοῦ ἀμυνομένου — ἀλλοτρίᾳ τύχῃ κέχρηται — ἐκ τῶν αὑτοῦ ἔργων τὴν τύχην προσαγαγόμενος in orationibus (5, 6. 21. 92. 6, 1) semper est universe fortuna, nunquam infelicitas.

Rursus *ἐπίστασθαι* verbi usus in orationibus tam late quam *εἰδέναι* vocis patet, in tetralogiis nullus est. Promiscue autem Antiphon his duobus verbis utitur; scribit enim 5, 67. 74 *ἀκοῇ ἐπίσταμαι, ἠπιστάμην,* 5, 75 *λόγῳ οἶδα.* Praeterea exstat *ἐπίστασθαι* quattuordecies: 5, 11. 32. 50. 82. 84. 6, 10. 14. 22. 25. 28. 33. 36. 38. 45, *εἰδέναι* (*προειδέναι*) in orationibus totidem locis: 5, 15. 24. 26. 52. 53. 65 bis. 73. 74. 75. 93. 6, 18. 24. 51, in declamationibus undecies: 2α3. 8. β3 bis. 6 bis. 9. γ3. 11. δ6. 4β9; triplo igitur rarior est sciendi notio hic quam illic, sed tamen saepius deprehenditur, quam ut oratio *ἐπίστασθαι* interdum substituto variari non potuerit. Hoc quoque monere velim *εὖ εἰδέναι* illud in orationibus identidem obvium (5, 15. 52. 73. 93. 6, 24) in tetralogiis omnino deesse, quae pro eo *σαφῶς εἰδέναι* offerunt 2α3. 8. β3. 6.

Pro *βούλεσθαι* tetralogiae non semel gravioribus verbis *ἐπινοεῖν* et *διανοεῖσθαι* utuntur, illo 3β6. 7. γ5. δ4, hoc 2γ3. 4γ4 bis. δ4 bis; orationibus haec duo verba ignota sunt, quamquam hic sententiae occurrunt, quae illic per *ἐπινοεῖν* vel *διανοεῖσθαι* efferuntur: comparemus modo 2γ3 *εἰ καὶ διενοήθησαν ταῦτα πρᾶξαι* vel 3β6 *ἁμαρτάνοντες, ὧν ἂν ἐπινοήσωσί τι δρᾶσαι* cum 5, 80 *ἐὰν.... ἃ βούλονται πράσσωσι,* 4δ4 *εἰ.... μὴ ἀποκτείνειν διενοήθη* et *οὐκ ἀποκτεῖναι διανοηθείς* cum 5, 61 *οὐκ ἐβούλετο αὐτὸν ἀπολέσαι.*

Insimulare in orationibus est *αἰτιᾶσθαι*: 5, 25 bis. 38. 60. 89. 6, 6. 17 bis. 18. 19. 22. 24. 26. 27. 32 bis. 34 bis. 48, omnino igitur undevicies, in tetralogiis semel tantum: 2δ1 *ἣν* (*τὴν ἀτυχίαν*) *οὐ δικαίως αἰτιῶμαι, ὡς οὗτοί φασιν,* sed compensatur verbis *ἐπικαλεῖν* 3α1. β5. 9. δ5. 4β7. δ9 et *ἐγκαλεῖν* 4β2. 7, quae nusquam in illis obvia sunt itemque *ἔγκλημα* declamationum proprium est octies: 2δ11. 3β9. γ11. 4α5. β1 bis. 4. δ10 vicem *αἰτία* vocis his et orationibus communis obtinens.

Verbi *ἀρκεῖν* ille circuitus, cuius mentionem fecimus (pag. 15), in tetralogiis tantum reperitur; itaque cum 2β2 legamus *οὐκ ἀρκοῦν μοί ἐστιν ἐμαυτὸν ὅσιον καὶ δίκαιον παρέχοντα μὴ διαφθαρῆναι,* loco simillimo 5, 66 est *ἐξαρκείτω μοι ἐμαυτὸν ἀναίτιον ἀποδεῖξαι* vel etiam *ἱκανός* adiectivo Antiphon utitur: 6, 48 *ἱκανὰ ἦν καὶ αὐτὰ ταῦτα ἀκούσαντας ἀποψηφίσασθαι,* quod ne a tetralogiis quidem alienum est cum *ἀρκεῖν* partes mutans: 2γ3 *ἡ ἀδικία ἱκανὴ ἦν παῦσαι τῆς προμηθίας* — 2γ7 *ἱκανὴ ἦν ἡ ὑποψία ἀποτρέψαι τῆς ἐπιθέσεως* — 3δ8 *ἱκανὸν αὐτῷ ἐστι τὰς αὐτοῦ ἁμαρτίας φέρειν.* Contra paulo aliter accipio 5, 76 *ἱκανὰ ἦν τὰ ἐνέχυρα ἃ εἴχετο αὐτοῦ* et 6, 46 *ἱκανά γ' ἦν ὑπομνῆσαι καὶ ἐνθυμηθῆναι,* quos locos sic interpretor: satis multa sunt neque plura esse opus est, cum supra ubique hic sit sensus: sufficit illud quidem, sed tamen plus esse potest.

οἷός τε apud Antiphontem undecies obvium: 5, 45. 53. 56. 81. 6, 9. 15. 36. 37. 38. 42. 50 in tetralogiis frustra quaerimus; immo ad inusitatius *ἀδύνατος* hae confugiunt 2β2 *τὸν ἀποκτείναντα.... οἱ τιμωροῦντες αὐτῷ ἀδύνατοι εὑρεῖν εἰσιν* et 3δ3 *ὃν* (*τὸν ἀποκτείναντα*) *ἀδύνατον ἀλλαχόθεν ἢ ἐκ τῶν πραχθέντων δηλοῦσθαι;*

quamquam ne ille quidem similia repudiat: 5, 63 *ἑαυτὸν οὐδ' ὑπερήμερον γενόμενον ἑπτὰ μνῶν δυνατὸς ἦν λύσασθαι* — 5, 76 *πρὸς τὴν πόλιν αὐτῷ ἀδυνάτως εἶχεν ἰσχυρίζεσθαι.*

Activum *ὑπολείπειν* solae tetralogiae adhibent: 2β9. 4α3. γ3. δ11, medium *ὑπολείπεσθαι* praefert Antiphon, quotiens hoc verbum cum accusativo coniungit: 5, 16 *ἀμφισβήτησιν καὶ λόγον ὑπελίπου* — 5, 52 *ἐπ' ἐμοὶ ἦν.... μὴ ὑπολείπεσθαι μηνυτὰς κατ' ἐμαυτοῦ.* Ceterum praeter activum *ὑπολείψω* 2β9 reperimus in tetralogiis medium quoque futuri: 3δ9 *ἐνθύμιον ὑπολείψεσθε.*

Irae notio aliter in orationibus aliter in tetralogiis exprimitur, atque usitatas voces *ὀργή, ὀργίζεσθαι* illic tantum offendimus: 5, 69. 71. 72 bis. 91, praeterea *ἄχθεσθαι* semel: 5, 46 *καὶ μή μοι ἄχθεσθε;* declamationes contra *ἀγανακτεῖν* et *θυμοῦσθαι* adhibent quae desunt in orationibus quinta et sexta: 4β1 *εἰκότως ἂν ἀγανακτεῖν μοι δοκῶ* — 2γ3 *σωφρονίσαι τὸ θυμούμενον τῆς γνώμης,* cui sententiae opponitur 4γ2 *τῷ θυμῷ χαρίζεσθαι.*

Quod machinando plane respondet, *μηχανᾶσθαι,* orationum proprium est: 5, 25. 55. 56. 6, 9. 36. 38 itemque substantivum *μηχάνημα,* machinatio: 5, 16. 22; tetralogiae vulgari *ἐπιβουλεύειν* in illis quoque usurpato contentae sunt neque substantivo *ἐπιβουλή* carent: 2α5. β8.

Impersonalia *δεῖ* „necesse est“ et *χρή* „decet“ in orationibus quinta et sexta, id quod minime admirationem habet, etiam atque etiam occurrunt, illud vicies quater: 5, 2 bis. 11. 12. 14. 20. 37. 50. 53 bis. 57. 60. 62. 64 bis. 67. 74. 91. 6, 2. 15. 32. 34. 38. 42, hoc septies decies: 5, 12. 36. 38. 47. 55. 73. 81. 82. 84. 91 bis. 6, 16. 23. 26. 28. 29. 49. Huc accedit novies *ἀνάγκη ἐστί* vel nudum *ἀνάγκη* eiusdem significationis atque *δεῖ*: 5, 3. 6 ter. 87 bis. 6, 4. 5. 18. Qui autem horum verborum usus est in declamationibus? *χρή* sane saepius legitur: 2α2. 11. δ1. 2. 7. 3β1. δ1. 4α7. β8, sed *δεῖ* non plus quam semel: 3δ8 *τὸν νόμον, ὃν παραφέρουσιν, ἐπαινεῖν δεῖ* atque *ἀνάγκη* pro *δεῖ* ne semel quidem.

En amplus numerus insignium discriminum, quae inter orationes et tetralogias intercedunt! Atque etiam alia sunt vocabula vel his vel illis peculiaria, sed variis de causis minus valent ad hanc quaestionem diiudicandam. Omnia enim illa poetica vel Ionica in priore parte allata propterea hic non essent suo loco, quod testes sunt linguae plane a poetarum auctoritate pendentis, qualis quod in orationibus non iam apparet, etiamsi has et tetralogias uni scriptori tribuemus, non erit cur miremur. Attica autem vocabula quorum notiones tetralogiis et orationibus non communes sunt, quod quamvis vulgaria prout iis opus est aut in his aut in illis solis adhibentur, non plus offensionis habebit. Plane aliter contra res se habet de iis, quae supra enumeravi. Etenim ut omnia haec usurpandi argumenta et declamationum et orationum potestatem faciunt, ita neque quae voces illarum propriae sunt: *δρᾶν, βιάζεσθαι, καταλαμβάνειν, διαφθείρειν* pro *ἀποκτείνειν, ἀτυχία* quaeque ab eadem radice oriunda, *ἐπινοεῖν, διανοεῖσθαι, ἐπικαλεῖν, ἐγκαλεῖν, ἔγκλημα, ἀρκεῖν,*

ὑπολείπειν, earum in orationibus absentia eo defenditur, quod ex lingua poetica haustae sint ac propterea in orationibus minus poetarum auctoritati obnoxiis frustra quaerantur, neque quae vocabula in his solis repperimus: *ἀπολλύναι* pro *καταγιγνώσκειν*, *σῴζειν* huic oppositum, *ἐπίστασθαι*, *οἷόν τε εἶναι*, *ὀργίζεσθαι* et *ὀργή*, *μηχανᾶσθαι* et *μηχάνημα*, *ἀνάγκη ἐστίν*, ea quispiam dixerit nondum usitata fuisse, cum tetralogiae conscriptae sunt, eamque ob causam in iis ab Antiphonte non potuisse adhiberi; omnia enim occurrunt apud Aeschylum vel Sophoclem.

Verum nondum omnes differentias, quibus tetralogiae ab orationibus seiunguntur, percensui. Singulae formae accedunt aliae hic aliae illic obviae, e quibus *ἀπολογηθῆναι* non parvi momenti puto. Nam etiamsi vetustioris linguae esse hanc formam ponimus, tamen permirum est, quod occasione identidem oblata passivus tantum aoristus in tetralogiis: 2γ1. δ3. 3γ2. 4γ1, medii tantum usurpatur in orationibus: 5, 13. 60. 74 bis. 90. 6, 8.

Res facta cum genetivus requiritur de substantivo aliquo pendens, in tetralogiis est *τὰ πραχθέντα*, quod participium in orationibus substantivo *τὰ πράγματα* cedit: *ἡ ἀλήθεια τῶν πραχθέντων* 2δ1. 3β2. 10. γ3. δ2 — *ἡ δόξα τῶν πραχθέντων* 3β2 — *ἡ εὐσέβεια τῶν πραχθέντων* 3β12 — *ἡ ἀπέχθεια τῶν πραχθέντων* 3δ2 — *ἡ ἀκρίβεια τῶν πραχθέντων* 4γ1, contra *ἡ ἀλήθεια τῶν πραγμάτων* 5, 3 (vel *τῶν γεγενημένων* 5, 72) — *ἡ ἀκρίβεια τῶν πραγμάτων* 5, 86, cum *ἡ ἐμπειρία τῶν πραγμάτων* 5, 1 peritia rei forensis intellegenda sit, ut tota paragraphus docet. Rursus 1, 13 exstat *ἡ σαφήνεια τῶν πραχθέντων*, sed primam orationem, quam Antiphontem scripsisse non certum habeamus, hac in parte disputationis cum quinta aut sexta conferri non debere initio prioris partis significavi.

Comparationis antiquioris formas et contractas et non contractas, si codicibus fidem habere licet, tetralogiae continent, orationes illas tantum: *μείζονα* 2α5. 4β2. 3. *μείζω* 2γ6. 4γ4. *μείζους* 2α6. *πλείονα* 4β2. 3. *πλείω* 6, 5. 33. *πλείους* 2α6. γ11. 6, 22. *ἐλάσσω* 2γ6. 3α2. *ἐλάσσους* 2γ11. *κρείσσονα* 4γ3. *κρείσσω* 5, 12. Nusquam igitur solutae formae in *ονες* aut *ονας* desinentes apparent, cum sex in *ονα* cadant. Nec ab hoc usu Thucydides abhorret, ut *ἐχθίονα* 4, 86, 5 declarat, et libentissime, ut tetralogiarum scriptor, comparativi adverbia in *ως* desinentia adhibet. Haec autem declamationibus sunt exempla: *ἀπορωτέρως* 3β1 — *σαφεστέρως* 3β5 — *κρεισσόνως* 4δ6. 7 — *ὑποδεεστέρως* et *ἐλασσόνως* 4δ6, neque usitatiores formas repudiari demonstrant, ut non omnes locos afferam, 2α7 *θερμότερον ἐπιχειρεῖν* — 2α8 *κάλλιον ἔδοξεν αὐτῷ* — 2β13 *ἐπιεικέστερον ἢ δικαιότερον ταῦτα παρήσω* — 3β6 *σαφέστερον ἂν ἐλεγχθείη* — 3γ4 *ἡ μὲν πιστότερον ἢ ἀληθέστερον σύγκειται, ἡ δ' ἀδολώτερον καὶ ἀδυνατώτερον λεχθήσεται*, atque ita tantum Antiphon adverbia comparativi in orationibus nobis traditis format: 5, 7 *χεῖρον ἑαυτῶν λέγοντες* — 5, 48 *δικαιότερον ἂν ἐκρίνεσθε* — 5, 53 *σαφέστερον αὐτὸς ἔμελλεν ἐρεῖν* — 5, 59 *δικαιότερον ἂν ἁλοίης τοῦ φόνου* — 5, 86 *ἄμεινον ἂν ἐγιγνώσκετο* — 6, 33 *ἵνα ἔτι καὶ ἄμεινον μάθητε*. Contra rariorem illam adverbii formam e ceteris scrip-

toribus Atticis praecipue Thucydides adhibet: 1, 130, 1 *μειζόνως* — 2, 35, 2 *ἐνδεεστέρως* — 2, 50, 1 *χαλεπωτέρως* — 4, 71, 2 *ἀσφαλεστέρως* — 8, 50, 3 *μαλακωτέρως* — 8, 87, 4 *ὑποδεεστέρως*. Ut porro augeat vim comparativi Antiphon, saepius *πολλῷ* quam *πολύ* utitur, illo 5, 7. 44. 48. 74 ter. 75. 79, hoc 5, 59 et apud *διαφέροντα* 5, 88. 6, 6; in tetralogiis nunquam *πολλῷ*, semper *πολύ* reperimus: 2β6. 10. γ6. δ9. 4β1. γ4. δ6.

Dictiones quoque quaedam diverse in tetralogiis et in orationibus proferuntur: *ὦ ἄνδρες* simplicem allocutionem hic saepissime obviam (5, 1. 4. 7. 17. 20. 45. 49. 52. 72. 85. 86 bis. 92. 6, 7. 9. 14. 16. 20. 25. 28. 29. 33. 41) illic ne semel quidem deprehendimus, sed ubique appositio quam dicimus accedit: 2β13 *ὦ ἄνδρες τῶν μεγίστων κριταὶ καὶ κύριοι* — 3α1 *ὦ ἄνδρες πολῖται* — 3β2 *ὦ ἄνδρες δικασταί* — 3γ3 *ὦ ἄνδρες ἀνοσίων ἔργων τιμωροί*, e quibus allocutionibus tertiam Antiphon bis usurpat: 5, 84. 6, 1.

Nocturnum tempus in quinta oratione significatum habemus adverbio *νύκτωρ*: 26 bis. 28. 44. 45 bis, in prima tetralogia locutione *ἀωρὶ τῶν νυκτῶν:* α4. β5. δ5, cum in reliquis orationibus nulla vel huius vel illius usus occasio detur.

Substantiva *τεκμήριον, σημεῖον, μαρτύριον* cum *μέγας* coniuncta Antiphon identidem ita usurpat, ut res probanda gravius animis inculcetur: *ὅπερ μέγιστόν ἐστι σημεῖον νόμων καλῶς κειμένων* 5, 14. 6, 2 — *ἃ σὺ παρανομεῖς, αὐτὰ ταῦτά μοι μέγιστα μαρτύριά ἐστιν* 5, 15 — *ἦν (ἂν) ταῦτα αὐτοῖς μέγιστα τεκμήρια κατ' ἐμοῦ* 5, 38 simillimeque 6, 27 — *τεκμήριον δὲ μέγιστον ὡς οὐκ ἐβούλετο αὐτὸν ἀπολέσαι* 5, 61 — *τοῦτο ὑμῖν μέγιστον τεκμήριόν ἐστιν, ὅτι οὐ σφόδρα ἐχρώμην ἐγὼ Λυκίνῳ φίλῳ* 5, 63 — *ἃ ἐγὼ ἀξιῶ μεγάλα μοι τεκμήρια εἶναι τῆς αἰτίας, ὅτι οὐκ ἀληθῆ μου οὗτοι κατηγοροῦσιν* 5, 83 — *ὅτι οὐκ ἀδικεῖ αὐτούς, μέγιστον σημεῖον* 6, 43 ibidemque *τί ἂν ὑμῖν τούτου μεῖζον τεκμήριον ἀποδείξαιμι, ὅτι οὐκ ἠδικεῖτο.* In tetralogiis plane nihil eiusmodi invenimus.

Rursus qui has composuit, ut facilius efficiat transitum, libenter *θέλειν* adhibet: 3δ3 *θέλω δὲ πρῶτον ὑμᾶς μαθεῖν* — 3δ5 *θέλω δὲ μὴ πρότερον ἐπ' ἄλλον λόγον ὁρμῆσαι* — 4β7 *ἐθέλω δὲ τοὺς κατηγοροῦντάς μου πᾶσιν οἷς ἐγκαλοῦσιν ἐνόχους αὐτοὺς ὄντας ἀποδεῖξαι* — 4γ1 *θέλω δὲ καὶ τὰ ἄλλα παραπλήσια ἀπολογηθέντα τούτοις ἐπιδεῖξαι αὐτόν;* apud Antiphontem frustra hanc formulam transeundi quaeremus.

Etiam collocatione attributorum Antiphon et declamationum scriptor differunt: quae saepissime ille post substantiva articulo repetito, non ante ea ponit, quem locum praecipue pronomina videmus obtinere, atque etiam genetivos et similia per articulum tali modo substantivis adiuncta huc refero. Legimus igitur 5, 1 *τοῖς κακοῖς τοῖς γεγενημένοις* — 5, 8 *τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, τοῦ σώματος τοῦ ἐμοῦ, τῶν πραγμάτων τῶν εἰς ἐμέ* — 5, 18 *τοὺς φίλους τοὺς ἐμαυτοῦ* — 5, 19 *τῶν νόμων τῶν ὑμετέρων* — 5, 20 *οἱ Θρᾷκες οἱ λυσόμενοι* — 5, 24 *τὸν ἀκόλουθον τὸν ἐμαυτοῦ* — 5, 35 *τοῖς λόγοις τοῖς ἐψευσμένοις* — 5, 42 *τοῖς λόγοις τοῖς τοῦ ἀνθρώπου* — 5, 47

τοῖς φίλοις τοῖς ἐμοῖς, τοῖς ἄρχουσι τοῖς ὑμετέροις, τῶν λόγων τῶν ἐκείνου — 5, 76 τὴν εὔνοιαν τὴν εἰς ὑμᾶς — 5, 82 τὰ ἱερὰ τὰ νομιζόμενα — 5, 84 τὰ σημεῖα τὰ ἀπὸ τῶν θεῶν — 5, 87 τὴν δίκην τὴν δεδικασμένην — 6, 21 τὴν ἡλιαίαν τὴν τῶν θεσμοθετῶν — 6, 28 οἱ μάρτυρες οἱ παραγενόμενοι — 6, 34 τῶν ἐχθρῶν τῶν ἐμῶν. Quae exempla minime ad unum enumerata declarant valde gavisum Antiphontem hac collocatione eoque magis mirum est, quod nunquam ea in tetralogiis obvia fit; nam 2γ5 τὸν μὲν κίνδυνον τὸν αὐτὸν ἔμελλε καὶ παρὼν κινδυνεύειν pronomini τὸν αὐτὸν utcumque collocato articulus utique necessarius est. Ac ne similem quidem usum post substantivum articulo carens adiectivi cum articulo ponendi, ut 5, 11 οἰκίᾳ τῇ σῇ — 5, 37 ἐπ' ὠφελείᾳ τῇ ἑαυτοῦ — 5, 41 χάριτι τῇ ἐμῇ — 6, 26 ἔλεγχον τὸν δικαιότατον, ne hunc quidem in declamationibus repperi: ubique vulgarem inter articulum et substantivum sedem attributum obtinet.

Reliquum est, ut de amplo vocabulorum genere verba faciam, quod perlustrantes non paucas differentias orationum et tetralogiarum deprehendimus, de genere particularum, in quarum partem iam Schaefer[11]) et Wetzell[12]) diligentius inquisiverunt, ut tamen non aperte rationem haberent quaestionis quam mihi proposui. Itaque non supervacaneum iudico nunc proferre, quae de huius generis usu mentione digna mihi videntur.

Ac primum negatione non semper eodem modo Antiphon utitur quo declamationum scriptor: Post verba κωλύειν et διακωλύειν hic ubique μή omittit: 3β7 διακωλυθεὶς τοῦ σκοποῦ τυχεῖν — 3γ8 οὐ δίκαιον τὰς θείας προσβολὰς διακωλύειν γίγνεσθαι — 3γ6 οὐ τοῦ σκοποῦ τυχεῖν ἐκωλύθη, propter quem locum Reiske 3β4 probabiliter scribit ὁ μὲν ἐκωλύθη τοῦ σκοποῦ τυχεῖν. Contra 5, 82, quo uno loco orationum occasio huius constructionis datur, est διακωλύοντες τὰ ἱερὰ μὴ γίγνεσθαι τὰ νομιζόμενα. Nunquam μὴ οὐ in tetralogiis occurrit; itaque 2γ6 legimus μὴ παραχθῆναι τὴν γραφὴν οὐδεμίαν ἐλπίδα εἶχεν — 3β4 οὐδεὶς ἂν ἡμῖν λόγος ὑπελείπετο μὴ φονεῦσιν εἶναι, cum alii scriptores Attici μὴ οὐ in talibus dictionibus minime respuant: Thucyd. 1, 141, 5 τὸ δὲ οὐ βέβαιον (ἔχοντες) μὴ οὐ προαναλώσειν — 8, 60, 1 τὸ χωρίον ὂν ἀδύνατα ἦν.... μὴ οὐ μεγάλα βλάπτειν — 8, 71, 1 οὐ πιστεύων μὴ οὐκέτι ταράσσεσθαι αὐτούς — Andocid. 3, 26 οὐ λόγος ὑπολείπεται μὴ οὐκ ἀδικεῖν — Demosth. 24, 69 τοῖς δὲ οὐδὲ λόγος λείπεται τὸ μὴ οὐ πονηροῖς εἶναι, atque etiam Antiphon scribat 5, 87 et 6, 5 οὐδεὶς ἂν τολμήσειε.... μὴ οὐ χρῆσθαι τῷ νόμῳ; pro neganti autem ἀποτρέπειν 6, 15 ἣν (τὴν τύχην).... οὐδεὶς οἷός τ' ἂν εἴη ἀποτρέψαι μὴ οὐ γενέσθαι ἥντινα δεῖ ἑκαστῷ in tetralogiis reperimus negans κωλύειν cum nudo infinitivo 3γ6, quem locum supra attuli.

Adverbia demonstrativa ἐνθάδε, ἐνταῦθα, similia frustra in tetralogiis quaeruntur, in orationibus satis usitata sunt; legitur enim illud 5, 16. 36, hoc 5, 10. 29. 33. 62. 6, 9. 10. 44, ἐνταυθοῖ 5, 2. 10, ἐντεῦθεν 6. 10.

---

[11]) De nonnullarum particularum apud Antiphontem usu, dissert. Götting. 1877. — [12]) Beiträge zum Gebrauch der Partikeln bei Antiphon, Frankfurt a. M. 1879.

Ex aliis adverbiis addo *ἔπειτα* atque *ἔτι*, quae satis frequenter, ut novum argumentum annectat, Antiphon adhibet: *ἔπειτα* 5, 10. 12. 14. 18. 45. 54. 68. 6, 2. 8. 11. 19 — *ἔπειτα δέ* 5, 11. 16. 42. 51. 54. 62. 92. 6, 3 — *ἔτι δέ* 5, 17. 39. 6, 13 bis — *καὶ ἔτι* 6, 17. 31. Declamationum auctor simplici *δέ* contentus est, cuius exempla afferre supersedere posse mihi videor.

De praepositionibus nunc videamus quid hoc loco commemorandum sit. In orationibus *κατά* cum genetivo coniunctum usitatissimum est: 5, 24. 25. 32. 38 quater. 48. 52. 55. 6, 24 bis. 26. 27 ter. 32. 37. 41, contra ei ne unum quidem locum is concessit cui tetralogiae debentur, et tamen, quae sunt res his tractatae, facillime profecto adhiberi poterat.

Praeter *μετά* cum genetivo coniunctum tetralogiae *σύν* praebent, alterum 3β3 *μελετῶν μετὰ τῶν ἡλίκων ἀκοντίζειν* et 3δ5 *μετὰ τῶν θεωμένων ἑστώς*, alterum 2α4 *οὐκ ἂν σὺν τῷ ἀκολούθῳ διέφθειρεν αὐτόν* et 3δ6 *σὺν τοῖς θεωμένοις ἑστῶτα*, e quibus exemplis secundum et quartum promiscue *μετά* et *σύν* usurpari docent. Neque apud poetas modo *σύν* saepissime exstat, sed ne Thucydides quidem, ut alios prosae orationis scriptores praetermittam, ab hac praepositione adhibenda abhorret. Orationes contra *μετά* semper utuntur: 5, 2 bis. 33. 50. 59. 61. 71. 76. 82. 86. 6, 35. 40. 45.

Non magis occurrit hic *ἐκ* pro *ὑπό* ter in tetralogiis obvium: 2δ1 *τῶν ἐξ ἐμοῦ πραχθέντων* — 3β6 *ἀκουσίου τοῦ φόνου ἐξ ἀμφοῖν ὑμῖν ὁμολογουμένου γενέσθαι* — 3γ10 *ἐξ ἀμφοῖν τοῦ φόνου γενομένου*; quem usum nisi poeticum vis appellare ab Herodoto scriptor declamationum mutuatus est. Sed noli putare ita absentiam huius *ἐκ* defendi, nam Thucydides quoque eo utitur: 1, 20, 2 *ὑποτοπήσαντες .... ἐκ τῶν ξυνειδότων σφίσιν Ἱππίᾳ μεμηνῦσθαι* — 3, 69, 1 *ἐκ τῶν Ἀθηναίων ἐπιδιωχθεῖσαι* — 6, 36, 2 *αἱ ἀγγελίαι .... ἐξ ἀνδρῶν οἵπερ ἀεὶ τάδε κινοῦσι ξύγκεινται.*

„Coram testibus" 2γ8 est *ἐπὶ μαρτύρων*, in sexta oratione *ἐναντίον μαρτύρων* 19. 39 similiterque *ἐναντίον τῆς βουλῆς* 40.

Inspiciamus extremo loco coniunctiones: Atque *καί* in tetralogiis semper duo tantum membra coniungit, id quod exemplis probare non erit necessarium, cum plus duo membra in orationibus per *καί* non raro inter se serantur: tria 5, 11 *σαυτῷ καὶ γένει καὶ οἰκίᾳ τῇ σῇ* — 5, 42 *ἐν τῷ αὐτῷ πλοίῳ πλέων καὶ παρὼν διὰ τέλους καὶ συνών μοι* — 5, 62 *ἱερῶν καὶ ὁσίων καὶ τῶν ἄλλων* — 6, 14 *ἀκριβῶς ἐπίστανται καὶ τοῦ ὁρκωτοῦ ἀκούουσι καὶ ἐμοὶ προσέχουσι τὸν νοῦν* — 6, 26 *προὐκαλεσάμην τούτους καὶ .... ἐξῆν αὐτοῖς πυνθάνεσθαι καὶ πρόφασις οὐδεμία ὑπελείπετο* — 6, 33 *ἐπιορκοτάτους ὄντας καὶ ἀσεβεστάτους ἀνθρώπων καὶ ἀξίους*; quattuor 6, 18 *τὴν διάγνωσιν ποιεῖσθαι καὶ θηρεύειν καὶ .... ὑπονοεῖν .... καὶ .... ψηφίζεσθαι* — 6, 49 *παρὰ τῶν ποριστῶν καὶ τῶν πωλητῶν καὶ τῶν πρακτόρων καὶ τῶν ὑπογραμματέων*, et 6, 45 quantus fit concursus particularum *καί*: *ὃς ταῦτα πράττων καὶ εἰς τἄλλα ἱερὰ πάντα εἰσιὼν .... καὶ θύων καὶ εὐχόμενος ὑπὲρ τῆς πόλεως ταύτης καὶ .... πρυτανεύσας .... καὶ ἱεροποιῶν καὶ θύων ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας καὶ*

ἐπιψηφίζων καὶ λέγων γνώμας περὶ τῶν μεγίστων.... φανερὸς ᾖ, pro quibus καί 2β12 non minus frequenter δέ usurpatur: πολλὰς μέν.... εἰσφορὰς εἰσφέροντα, πολλὰ δὲ τριηραρχοῦντα, λαμπρῶς δὲ χορηγοῦντα, πολλοῖς δὲ ἐρανίζοντα, μεγάλας δὲ.... ἐγγύας ἀποτίνοντα, τὴν δὲ οὐσίαν.... ἐργαζόμενον κεκτημένον, φιλοθύτην δὲ.... ὄντα.

Libentissime scriptor tetralogiarum καὶ οὐ adhibet, ut sententiam dupliciter, et affirmative et negative, eloquatur: 2β5 ἐσωφρόνουν καὶ οὐκ ἐμαίνοντο — 2β8 φυλάξασθαι καὶ μὴ παραγενέσθαι τῷ ἔργῳ — 2β10 τοὺς ἀποκτείναντας καὶ οὐ τοὺς αἰτίαν ἔχοντας ἀποκτεῖναι ὀρθῶς ἂν καταλαμβάνοιτε — 2β13 δέομαι ὑμῶν.... ἐλεήσαντας τὴν ἀτυχίαν μου ἰατροὺς γενέσθαι αὐτῆς καὶ μὴ.... περιιδεῖν με ἀδίκως.... διαφθαρέντα ὑπ' αὐτῶν — 2γ2 τοὺς ἐργασαμένους ἤγγειλαν ἂν ἡμῖν καὶ οὐχ οὗτος ἂν τὴν αἰτίαν εἶχεν — 2γ8 οὗτος ἂν καὶ οὐδεὶς ἕτερος ὁ ἀποκτείνας αὐτὸν εἴη; nec rarius hic usus in altera aut tertia tetralogia reperitur: 3β2. 5. 12. γ1. 3. 9. 10. δ4. 4β4. 6. 8 bis. γ3. 4 bis. δ4. 6 bis. 8. Itaque quin de industria auctor alterum membrum alteri opposuerit, in dubium vocari non potest, potest sane, num Antiphon quoque καὶ οὐ hoc modo usus sit; nam duobus tantum locis id suspicari licet: 5, 45 ἔνδον ὢν αὐτοῦ καὶ μὴ πεφοβημένος et 5, 71 εὖ βουλεύσασθε καὶ μὴ μετ' ὀργῆς; sed nonne fortuito haec duo καὶ οὐ in calamum oratoris fluxisse possunt?

Alia membrorum coniunctio per τε.... τε efficitur, in tetralogiis quadragies sexies, si Blassium audimus, cum aut singula vocabula: 2α9. γ3 bis. δ1. 3α1. β10. 4β6. γ2 bis, aut, id quod quadruplo saepius fit, singulae sententiae copulantur: 2α3. 7. 7—8. 10 ter. β2. 3. 7. 10. 11. γ1. δ3. 7. 10. 11. 3β1. 6. 8. 10 bis. 11. 3γ2. 7. 9. 12. 4α2. 3—4. 7. β7. 9. γ1. 7. δ3. 6. 9. 10. Orationum contra exempla quam rara sunt sata: 5, 84. 6, 5; quae paucitas Gruenwaldtum commovit, ut ambobus locis prius τε removeret, posterius in δέ mutaret simul monens 5, 87, ubi eadem verba quae 6, 5 legerentur, prius τε deesse, sed hoc modo traditis verbis nimiam eum vim inferre puto et rectius Blassium propter 6, 5 alterum τε ante δίκης 5, 87 interposuisse. Vicissim τε.... καί declamationum scriptor parce adhibet: 2β13. δ7. 3β12. δ8. 4α1. 6. 4γ1, orationes abunde continent ita, ut et singulae voces iungantur: 5, 1. 18. 20. 41. 62. 67. 80. 88 bis. 6, 6 bis. 18. 22. 23 bis. 31 bis. 38. 50 et singulae sententiae: 5, 8. 23. 24. 25. 45. 61. 65. 85. 89. 90. 92. 96. 6, 4. 6. 9. 14. 16. 20. 23. 29. 31. 38. 46, cum septem illis tetralogiarum locis singula tantum vocabula per τε καί distincta habeamus.

Pro μέν.... δέ quinta oratio saepius τοῦτο μέν.... τοῦτο δέ profert: 5. 11 bis. 26. 31. 50. 52. 53. 67. 81. 83 vel omisso posteriore pronomine τοῦτο μέν.... δέ 94 vel solum τοῦτο δέ 13. 69 bis. 76. 82 bis, cuius usus ne unum quidem exemplum centum septendecim paragraphi tetralogiarum continent. Contra his alius usus particulae δέ peculiaris est: praegressae sententiae principalis notio in capite sequentis per δέ adiunctae participiali enuntiato inclusa repetitur, quo facilior transitus ad nova addenda fiat, velut 2α3 ἡ ποινὴ εἰς ἡμᾶς.... ἀναχωρεῖ. ἅπαντος δὲ τοῦ

μιάσματος ἀναχωροῦντος εἰς ἡμᾶς — 2δ6 *εἰ δὲ ἐκηρύσσοντο ἢ μὴ ἄλλοι τινὲς κακοῦργοι...., τίς οἶδεν;.... ἀφανοῦς δὲ ὄντος τοῦ κηρύγματος* — 2δ7 *ποῦ δίκην δώσει;.... ἀκινδύνως δὲ μέλλων μαρτυρεῖν* — 3β9 *ἀμφοῖν ἀπολύεται τοῖν ἐγκλημάτοιν.... ἀπολυόμενος δὲ* — 3δ8 *ὑφ' ἑαυτοῦ ἐκολάσθη. κεκολασμένου δὲ τοῦ ἀποκτείναντος* — 4δ2 *οὐδὲν μᾶλλον τῷ διώκοντι ἢ τῷ φεύγοντι τεκμήριον γίγνονται. κοινοῦ δὲ τοῦ τεκμηρίου ἡμῖν ὄντος καὶ τούτῳ* et statim post *τοῦτόν φασιν ἄρξαι τῆς πληγῆς. ἄρξαντος δὲ τούτου;* sufficiant autem haec exempla particulae *δέ* prolata iterum proferentis.

Particulam *τοι* eiusque composita tetralogiarum scriptor manifesto neglegit; etenim illam semel tantum adhibet: 4γ5, cum octo locis orationum obvia sit: 5, 48. 72. 91. 94. 95. 96. 6, 9. 14; iam vero *μέντοι* et *καίτοι,* quae ab Antiphonte minime spernuntur, illic plane desunt; occurrit autem illud 5, 19. 75. 86. 6, 3. 18. 22, hoc 5, 13. 14. 16. 17. 19. 24. 40. 43. 47. 48. 52. 53. 55. 61. 74. 75. 85. 91. 6, 10. 29. 32. 43. 46. 47. 48.

Itemque *δήπου* in orationibus tantum deprehendimus, aut post pronomen personale 5, 38. 6, 27 *ἐμοὶ δήπου* — 6, 32 *ἐμὲ δήπου* aut negationi vel neganti notioni appositum 5, 24. 85 *καίτοι οὐ δήπου* — 5, 43. 63 *οὐ γὰρ δήπου* — 6, 42 *οὔτ' εἰσάγειν δήπου.*

Ultimo locò *ἐπειδή* et *ὅτε* producantur: nunquam in tetralogiis apparent, apparent identidem apud Antiphontem, hoc 5, 25. 36 bis. 52. 6, 11. 15, illud 5, 22. 23. 24. 25. 29 ter. 33. 37. 40. 41. 55. 56. 76. 6, 11. 12. 21. 40. 42. 44.

Ad finem perveni alterius partis disputationis meae. Quid autem res ea allatae nos docent? Insignes differentias elocutionem tetralogiarum et orationum ostendere nemo iam negabit. Etenim illarum scriptor et Antiphon non modo saepius eandem notionem diversis vocabulis efferunt, non modo quas voces pervulgatas alter abunde adhibet, alter plane neglegit, non modo singulae formae, singulae dictiones aliae hic aliae illic exstant, non modo non semper idem verborum ordo reperitur, sed etiam, id quod maximi momenti putarim, particularum usu consuetudo tetralogiarum ab orationum eximie recedit.

Quae omnia quo saepius perlustro, eo probabilius declamationes existimo ab Antiphonte non esse conscriptas nec sufficere ad eum defendendum, ut temporis spatio inter tetralogias et orationes interiecto vel declamationum generi ab orationum diverso discrimina illa attribuas. Quibus enim rebus haec cernuntur, eas omnes ex lingua Attica haustas et priore dimidia parte quinti saeculi et posteriore alii usurpant; tam autem sunt tritae, ut in quibuslibet scripturae generibus, sive declamationes sive orationes sive historias sive versus spectamus, adhiberi possint. Iam verum tetralogiarum scriptorem quaerentes quae ex priore parte huius disputationis effecimus eorum memores aequali Antiphontis eas addicemus, ex iis cuidam, quorum nomina ad nos non pervenerunt, sed quos eodem fere tempore quo Antiphontem iisdem studiis operam dedisse fingere profecto licet. Sed sophistae nomine

cum Rhamnusio coniuncti tetralogias esse mihi non persuasit Buresch, cuius iam initio disputationis meae mentionem feci. Is de consolationibus Graecorum et Romanorum exponens (Leipziger Studien 9, 1) quod primo (pag. 86) suspicatur tantum, post excursu (pag. 133) pro certo affirmat poeticis et priscis nixus vocabulis a Bothio in dissertatione Marburgensi (cf. supra pag. 3) enumeratis, quae non in orationibus, sed in tetralogiis reperiantur et ad sophistam, non ad oratorem quadrent. Verum propter hunc sublimiorem sonum tetralogias ab Antiphonte abiudicare non licere, praesertim cum in orationibus similia non desint, satis demonstrasse mihi videor, ut omittam parum verisimile esse sophistam eidem generi orationum ad caedem pertinentium studuisse atque Rhamnusium. Nec magis quod alterum Buresch conicit (pag. 86) mihi arridet sophistae, non oratoris Thucydidem fuisse discipulum. Orationum enim elocutio certe totidem rebus quot declamationum et fragmentorum sophistae cum historici consentit neque exempla quae hoc illustrent in disputatione mea desideres. Quam ad similitudinem accedit laus eximia oratori a Thucydide tributa (8, 68), qua Caecilium Calactinum in errorem de historici praeceptore inductum esse Buresch contendit (pag. 87), equidem non intellego ipsam illam similitudinem respiciens. Ceterum ex eo quod veteres Antiphontem Thucydidis praeceptorem dixerunt non puto necessarium concludere hunc ab illo re vera institutum esse. Iam ut ad illam de tetralogiarum auctore quaestionem redeam, fortasse oratoris erat discipulus, cuius scripta cum clarioris magistri sensim confusa sunt. Quodsi ita res sese habet, causa et discriminum, quae uni scriptori non possunt deberi, et cognationis cuiusdam interlucentis reperta est.



Vita.

Natus sum, Fridericus Ioannes Brueckner, Kalendis Aprilibus anni p. Chr. n. 1860 Fribergae, in oppido Saxoniae, ubi litterarum elementis imbutus puer duodecim annorum gymnasii disciplinam subii. Qua in schola postquam per septuennium ingenuis artibus operam dedi, a magistris et per litteras et per colloquia tentantibus iusta scientia instructus esse repertus ex condiscipulorum societate dimissus sum atque in academiam Lipsiensem transii, ut scriptorum, quorum amore intra scholae parietes incensus eram, studia colere ibi pergerem. Itaque ante diem XIV. K. Maias anni 1879 Lipsiae in ordinem philologiae studiosorum relatus sum eiusdemque academiae quinque annos continuos cives fui. Intra quod spatium obiebam circulos philologicos a professoribus Ludovico Lange, Iusto Lipsius, Ottone Ribbeck, Friderico Augusto Eckstein ad habendas exercitationes constitutos, quibus viris illustrissimis quod quacumque ratione studia mea adiuverunt maximam semper habebo gratiam. Examine philologico superato inde ab Aprili anni 1884 in gymnasio regio Lipsiensi tirocinium erudiendi posui atque anno post Fribergam in patriam vocatus sum, ut in gymnasio Albertino vicarii munere fungerer. Hinc anno 1886 Budissam transmigravi ibique per proximum annum gymnasii sextae classis tenui gubernacula.